OBSERVATIONES

IN JUDICIA

F. V. MARSILII AC SOCII

INSPERSA

ADVERSUS METAPHYSICAM SUBLIMIOREM

IN EXERCITATIONIBUS THEOLOGICIS

VITERBII EDITIS ANNO 1819.

P. VINCENTIO MARSILIO.

Clangore disputationum publicarum, Pater mi, classicum canis adversus Metaphysicam sublimiorem. Atqui Romae congrex unus tuus, qui semel atque iterum tentavit in eam rem occentare quidquam in templo S. Francisci ad Ripam, aut Divi Ignatii, male exceptus, cumque taedio dimissus fuit omnium. Nec tu ignorare poteras quo publicae hae disputationes evaserint, dum controversia quaevis ferveret maxime. Sed haec ad prudentiam pertinent: tuque prudentia es tanta, Pater mi, ut mores tui omnes exprimant illam, non quod te commonere quis ausit. Potius id consilii capiam. Excerpam ac describam de *Exercitationibus tuis* judicia quae fers omnia circa Metaphysicam sublimiorem additis opportune notulis, ut per te ipsum tu aestimes, num rectissime semper ea tuleris. Nam certum est mihi, futurum te amiciorem aliquantulo, ut amicior aliquantulo factus es (1) postquam, utcumque sero, legisti opusculum: *Annotazioni su l' Esame imparziale dei due primi libri della Metafisica Sublimiore*. Nam eam nactus es mentem ut sapere supra vulgus audeas: et plura concedis jam, quorum non parum intersit ipsam Sublimiorem Metaphysicam. Nam statuis *non egisse Mastrofinium quod est per Ecclesiam vetitum* (2) = 2.° *Su-*

---

(1) Vide pag. 174. exercitation. Theologic.
(2) Pag. 65., et pag. 174.

perfore Mysterium etiamsi Trinitatis demonstraretur existentia (3) = 3.° *Demonstrationes tres Mastrofinii respicere unam semper et eamdem Trinitatem* (4) = 4.° illum solide ostendere (5) *apud Christianos ex novo testamento apertum fuisse Trinitatis Dogma*; ita ut sincerum hoc non aliud perpetuo putanda sit illustrare Sublimior Metaphysica.

(3) Pag. 4.
(4) Pag. 68.
(5) Pag. 67.

JUDICIA

F. V. MARSILII AC SOCII

IN METAPHYSICAM SUBLIMIOREM

Ex. pag. 3. *Exercitationum* in not. secunda.

Hinc minime videmus, qua ratione doctus, eruditusque Mastrofinius in perpolito opere, cujus titulus est *Met. sub. lib.* 1. *c.* 7. §. 94. ex eo quod philosophi Dei libertatem, ac ejus immutabilitatem determinent, determinari aeque posse deducat unitatem, et trinitatem esse in Deo: Libertatis, et immutabilitatis ideas contineri vidimus in omnimoda independentia, et intelligentia, et quidem clare, evidenterque: sed in quanam Divina perfectione contineri possit trium personarum necessaria existentia in Deo, ea ratione, qua fides docet, nos minime videmus.

Mastrofinium autem urgere posse, plane cognoscimus philosophos nedum ostendere in Deo esse libertatem, et immutabilitatem, sed etiam eas conciliari esse aggressos, sicut conciliari conatos fuisse hominis libertatem cum immutabilibus Dei decretis, quae omnia, subdit Mastrofinius, sunt mysteria, quae a mente humana comprehendi nequeunt. At potuerunt fortasse, nos reponimus, hujusmodi auctores haec explicare mysteria? minime; et melius se gessisse hos scriptores si venerati fuissent hujusmodi mysteria, nemo est qui hac nostra aetate inficiatur.

Sed Mastrofinii scopus omnino distinguitur ab eo, quem tales habuerunt philosophi: Nam existere in Deo libertatem, et immutabilitatem, Deum ab aeterno disposuisse de omnibus rebus, et hominem esse liberum, sunt veritates cognitae lumine naturali: Mysterium adest in modo, quo hae uniuntur veritates. Sed de Trinitate non solum nobis haud innotescit modus, quo Deus simul possit esse trinus et unus, sed haec veritas, quam docet fides, scilicet Deum esse trinum, et unum, naturali ratione cognosci non posse nobis videtur (1). Concedimus tamen Mastrofinio, quod si ipse Deum esse trinum

---

OBSERVATIONES

(1) Hic proprie cardo vertitur: nam antecedentes difficultates, tu ipse, Marsili mi, solvis. Sit itaque, rem tibi ita videri: sed aliter

et unum demonstraret: adhuc mysterium foret (2), quatenus nulla ratione cognosci posset modus, quo esset simul unus et trinus, uti ipse observat lib. 33. c. 7. §. 349. lib. 4. c. 5. §. 430. eo vel magis, quod ipse hanc veritatem investiget siquidem ratione, sed semper supposita revelatione.

Ex pag. 7. not. 5.

Communiter philosophi Divinam essentiam in ipsa ejus constituunt existentia. *Ego sum qui sum*. Mastrofinius hanc rejecit opinionem, et ni fallimur, in Deo distinguit essentiam ac existentiam, et rationem cur haec altera existit, et terminum existentiae. (3) Et

---

OBSERVATIONES

atque aliter visa est longe pluribus iisque gravissimis imo et interdum sanctitate praestantissimis viris: Quorum nomina, nam ibi difficultatem eamdem expediri video, hic describam in tui commoditatem ex nota 19. opusculi: *Annotazioni su l'esame imparziale dei due primi libri della Metafisica sublimiore*. Vi si dice dunque che tali furono S. Agostino, il B. Lanfranco, S. Anselmo, S. Edmondo, tutti tre Arcivescovi Cantuariensi, il Cerberon, i Monaci del famoso Monastero di Becco, e di altre sue derivazioni. L'autore del libro *de Cognitione verae vitae,* Gersone, Enrico Gandavense, Ugone da S. Vittore, e Riccardo pure da S. Vittore, il quale ne scrisse come dianzi fu detto, in sei libri a' tempi di S. Bernardo, Niccolò Cardinale da Cusa quasi in tutti i suoi scritti, sempre ritoccando, e migliorando ciocchè avea detto. Concorsero con questo parere il famoso Walisio; ed in tempi più vicini Giosaffatte Massari stese la dimostrazione della Trinità, e Cesare De Horatiis ne stese altra, e la dettò, ed insegnò pubblicamente nell'Archiginnasio Romano della Sapienza, dove egli era professore. L'ultimo, che io sappia, a correr l'arringo fu Ermenegildo Pini con opera impressa in Milano nel 1803.: e questi sono i Latini. Si devono congiungere ad essi i Greci nominati sul principio della nota 5.

(2) Vix publicata Metaphysica sublimiore, qui conclamarunt bellum, ex eo potissime indixerunt, quod ablatum esset mysterium. Dei providentia factum est, ut quamquam eis carus, deberes apertissima confessione hac tua confundere duos tresve illos, quos certe sapiens nemo probavit.

(3) Haud assecutus es mentem, Pater mi: ac si cum integro vo-

hanc rationem §. 250. definit modum, ac idcirco tradit in ea non esse constituendam Divinam essentiam.

OBSERVATIONES

lumine non effecit Mastrofinius ut assequereris, perbrevi oratione effecero unquam ego? Conabor tamen ut potero omissis demonstrationibus. Mastrofinius in Divina substantia existente considerat dumtaxat Principium interius, atque illud verum, ac solidum, non fictum, et vanum, quare Divina substantia existat, et nihil considerat, neque considerari posse statuit, quod sit principio hoc ipso prius vel anterius in eadem Divina substantia. Principium vero illud interius est id ipsum, quod veteres dixere principium (interius) *divinitatis*: Hinc Athanasius initio orat. 4. adversus Arianos scribit *unum esse Divinitatis Principium* (id est Patrem) *non duo*: Usus est ea formula Dionysius; ac Gennadius Massiliensis Episcopus in libro *de Ecclesiasticis Dogmatibus* ita dixit: *Pater ergo PRINCIPIUM DEITATIS quia sicut nunquam fuit nisi Deus, ita nunquam fuit nisi Pater*. Quae, atque horum similia non pauca, in causa fuere quare Petavius de Tr. l. 3. c. 1. §. 8. concluderet: est ergo *Pater unicum Divinitatis Principium, et universim ut cum Dionysio dicam τις οντοτιτος principium, quam, entitatem necessario vertere nostri: fons et origo tum personarum reliquarum, tum omnium,* et §. sequen. *Patrem vocat unicum Divinitatis Principium universique του οντος entitatis originem et fontem*. Et Marius Victorinus: Ergo quod est Deo *ESSE* et *EXISTENTIAE CAUSSA* Pater est..... *Filius vero actus existentialis:* quod fusius vide in Metaph. Subl. §. 280., ubi exponitur.

Sic igitur habe: In divina substantia existente adest principium intimum quare existat, ut vere inest principium *intimum Divinitatis*. Principium hoc intimum, quod vere esse debet subsistens, ut Mastrofinius convincit, Principium hoc intimum et subsistens est Pater: quod ex principio hoc intimo consequitur ante omnia, est Existentia, seu potius id quod habet formam, seu speciem, vel notionem Existentiae, quae consequitur de illo Principio summo, quod principium est interius quare sit in Deo existentia. Jam igitur duos vides subsistentes vel Personas, alteram qui notionem habet Principii quare in Deo sit existentia, alterum qui notionem habet existentiae de Principio interiore, et immanente consecutae, quam secundam personam Paullus appellavit figuram, vel caracterem substantiae: nec terminum hic vides ullum ut ponebas *existentiae*. Atqui dices: Ergo

Nos praeterquam quod hujusmodi de essentiis rationibus ideas perobscuras videmus, nescimus, an tuto de Deo enunciari possint. Certe si haec

---

OBSERVATIONES

Pater non est existentia? Nil minus. Et ille existentia quia principium. Sic de Patre praedicatur Divinitas quia principium Divinitatis, atque de Filio praedicatur, ut qui de Patre tamquam de Principio consequitur.

Unaquaeque vero Persona vel subsistentia habet quod est *commune*, quodque *proprium:* Est Theologorum omnium sententia: hinc Damascenus de fid. 1. 3. c. 5. hypostasis est *commune cum proprio.* Ex ea. humana natura consideratur ut quidquam commune humanis quibusque personis: modus autem certus quo Petrus, aut Caesar, aut quivis alius ornatur, id est quo natura humana generatim sumpta determinatur, contrahitur, ac singulare quidquam evadit, et Petrum, vel Caesarem praebet, foret quod *proprium* est atque *incommunicabile*, seu personalis nota vel character et insigne. Quod est commune, id a Mastrofinio intelligitur hoc in loco essentiae nomine, quae res abstracte ac subtili cogitatione mentis percipitur, vel distinguitur: nota illa insigniens qua, ut mens capit, considerata simul cum communi, Primus constituitur ac est Principium quare in Deo sit id quod notionem habet existentiae, nota illa insigniens consideranda in certa ac peculiari forma, seu modo quo se habet, haec nota, inquam, insigniens foret id quod est proprium, ob idque non est in eo constituenda essentia, quae est id quod commune dicitur, et veluti spectatur ante modum ipsum quo tandem constringitur, fitque singularis. Interdum tamen more Theologorum, ac veterum etiam, per essentiam intelligitur totum id quod est Deus, nempe quod est commune simul cum proprietatibus hypostaticis: uterque sensus omnino est varius: utrumque Mastrofinius perpetuo distinxit, alii non semper distinguunt, sed confundunt, deque uno in alium, quin videant, pertranseunt. Hinc dissidia, hinc accusationes, hinc jurgia. Vidit ac necessario notavit, ut sese expediret, hanc sensus varietatem in essentiae nomine, qui Latinorum partes agebat in Concilio Florentino, eamque adversario suo sic meminit sess. 19. *audisti duobus modis intelligi a nobis nomen* οὐσιας *essentiae vel substantiae; uno quidem cum naturam tribus personis communem significare volumus, altero vero quando substantiam accipimus una cum proprietatibus hypostaticis* nimirum quae sunt in ea. Quae distinctio ad Incarnationem perinde tuendam est necessaria opportune, ut decet, ap-

legisset Cl. Caesar de Horatiis peracuti Mastrofinii (4) Praeceptor, quem et nos tanti facimus, valde reprehenderet Cl. Discipulum eo quia ex notionibus ita indeterminatis ratiocinatur. Mastrofinius ignorare nequit quae contra veterum, syntaticorum, ac Geometrarum ratiocinandi methodum scripserit de Horatiis in aureo opere cujus titulum fecit „ De universali methodo philosophandi, officioque philosophi „ (4) Dum autem Mastrofinius lib. 1. §. 4. probare voluit substantiarum simplicium essentias constitui non posse in modo, quo illorum efficitur, seu terminatur existentia, loquutus fuit vel de ideis ex rerum naturalium contemplatione vel, uti in more habuere pene omnes synthetici, ex sua imaginatione haustis. Si primum dicit, haud de Deo enunciari posse illas ideas reponunt analytici, cum exploratum habeant ideas abstractas applicari posse illis tantum ideis, quae vel componunt ideas abstractas, vel sunt similes, sive illis analogae, ex quibus compositae fuere. Si alterum licet ei inferre quidquid vult, sed consequentiae imaginariae forent sicuti imaginariae sunt ideae, quibus inclusas vidit. Vid. inferius *de rev. existentia.*

Insuper opinamur (4) non omnes philosophos concessuros fore in Deo hunc peculiarem, ac definitum existendi modum, quia ratione simplicitatis quidquid est in Deo est Deus, et solum secundum nostrum concipiendi modum plura distingui solent, ut inferius videbimus.

Tandem (4) animadvertimus hac nostra aetate philosophum de-

Observationes

plicata. Pater mi, rem sua per vestigia consequere, introspicito mentem, nam potes: et omnia pax erunt, et amor in Domino.

(4) Nunquam Mastrofinius locum adiit, ubi Caesar de Horatiis docebat: imo nec novit ipsum: Mastrofinius a discipulo illius mutuatus est Metaphysicam, quam ille in Sapientia Romana dictaverat; et annum quo tradita illa fuit, quam habuit, notat, nec aliud praeterea. Adhibe, Pater mi, attentionis quid amplius. Tanto magis quod hinc non tam facile sis culpaturus, ut indeterminatas notiones, quas tu non bene perceperis.

(4) Quae sequuntur omnia hinc ortum habent, quia non satis intellecta mens fuit auctoris; hinc praetereuntur: respondendum est enim veris difficultatibus: memineris tantum illud *commune*, et illud *proprium*, de quo dictum est antea. Sic re considerata parces magnis nominibus: ac memorabis, non reticebis nomina etiam alia ibi producta quae forent adjumento, ut Hieronymi, Augustini, Marii Victorini, Genuensis, Clarkii etc. Non est ingenui hominis circumcidere textum, ne recta mens pateat auctorum.

decere afferre auctoritatem aliorum ad determinandum ideas abstractas, quae uti in pluribus ex parte tantum verae sunt. Eo vel minus urgent Cartesii, Wolfii, Leibnitzii auctoritates: hos enim philosophos, postquam Baconiana philosophandi methodus invaluit AD CLASSEM DOCTISSIMORUM DELIRANTIUM PERTINERE NOSTRA EST FIRMA SENTENTIA. Sicut ex ideis abstractis aeque concludi posse oppositas sententias, uti testatur quotidiana experientia, ita evenire dicimus de aliorum auctoritatibus; unde ideae abstractae per analysim sunt determinandae, et semper cavendum est ne argumentis utamur *ad Verecundiam*.

Ex pag. 7. §. 6.

Idea igitur existentiae rerum creatarum omnino differt ab Idea existentiae quam Deo tribuimus; et in hoc praecipue sistit differentia, quod Deus rebus creatis non solum existentiam, sed essentiam tribuit, et ideo cum peculiares earum essentiae sint participatae (5), et ex nihilo productae, in se nullimode continent existendi rationem seu earum existentia non continetur in earum essentia, seu, clarius, existentiae idea non concipitur uti earum essentiarum elementum; at e contra Dei existentia necessario in ipsa Dei continetur essentia. Unde Divinae existentiae rationem sistere dicimus in ejus essentia (6),

---

Observationes

(5) Quam obscura sunt haec, quamque concinna parum. Pater mi, apud eum, qui Cartesium, et Wolphium, ac Leibnitzium ex firma Sententia sua ad classem rejicit DOCTISSIMORUM DERLIRANTIUM pag. 8. N. 6. *Parcius ista viris objiciends memento*. Interea transmea, obsecro, transmea spatium quod te a caeteris dividit; loquere, ut alii loquuntur; potestatem vocabulorum dimetire, expone quid sit *participatum* istud: ac deinde consecutiones exiliant tuae, quo te mens rapit velificata per ambitum rerum divinarum.

(6) *In ejus essentia etc.* Quid valent hae voces? Intelligis essentiam abstractam, nempe quod antea dictum est *commune*, vel intelligis abstractum, et commune cum tribus hypostaticis tesseris: Si primum: Dic, Pater mi, ubi videris quae abstracta sunt, rationem esse, vel ponere quare definite ac certe res ulla consistat. Si secundum: Ergo concipis essentiam simul cum personis; omnino igitur concipe principium illud quod Patres dixere principium Divinitatis, et Mastrofinius Principium existentiae ductus auctoritatibus quas congessit ca-

quod de creaturis dici nequit, cum nedum ut existant, principium habeant extrinsecum, sed etiam ut sint. Et hac ratione ex possibilitate entis infinite perfecti evidentissime ejus eruitur existentia.

Ex pag. 7. §. 7.

Unde quamvis daremus fore principii petitionem, si aliquis Deum existere diceret quia existit, non exinde tamen sequeretur singula entia, quae existunt, totidem esse Deos, perque omnia tempora fore extitura vi propria eo quia illis inest existentia uti infert Cl. Mastrofinius *Met. subl.* lib. 3. c. 1. §. 237. Vidimus quantum rerum creatarum existentia ab illa differat, quam Deo tribuimus (7). Nos inter existentiam rerum creatarum, ac eam quae Deo competit illam pene videmus distantiam et oppositionem, quam Cl. Mastrofinius esse rite observat Deum inter et nihilum, nempe infinitam.

Ex pag. 9. nota 6.

Unde si non falsa, aequivoca admodum nobis videntur, quae do-

---

Observationes

pitibus III, et IV libri tertii: nec sine caussa dissidiis des locum. Velis igitur limatius proponere ista: *Unde divinae essentiae rationem sistere dicimus in ejus essentia*; et omnia cohaerebunt. Imo ob oculos habe, ac similiter explicato quae in pag. 12. sub initio notae 12. scribis: *Deus uti Ens Necessarium rationem suae* existentiae *habet in se ipso;* et quae in fine §. 15. ubi lego: *necessarium est ut ad unam perveniamus caussam quae in seipsa suae habeat existentiae rationem*. Dico iterum: haud in nuda vagaque possibilitate inest Principium omnium summum in quo sit ratio omnium prima et summa. Sic in sole non in possibili nudo et inest origo radiorum inde manantium, et in radiis inest caussa splendoris. Inveni arborem vegetam, non emortuam, et frondibus locupletem ac fructibus, quae non in stirpe ac radice innitatur sua.

(7) Et omnino differt, quia existentia illa analysi facta ultimo deprehenditur esse existentia, quam Mastrofinius designaverat, ut ostensum est nota 6. Hinc redeunt omnia illa, quae Mastrofinius habet in §. 287. non ob discrimina, quae sequeris, et congregas alis cogitationum volitantium non per abstracta, nam horres, sed per abstractissima, quo fortasse nullus philosophorum exultavit, vel exsulavit.

cet laudatus auctor §. 246. Utra que vero scilicet *divina et creata existentia* considerata dumtaxat quatenus *existunt*, *neutiquam* opponuntur, *cum utraque haec suam revera habeant existentiam* (8). Opposita sunt ea, quae ab eodem subjecto, ut ajunt logici, se mutuo pellunt: et existentia, quae convenit creaturis, nequit divinae convenire substantiae, nec quae convenit Divinae substantiae, convenire potest creaturis.

Ac proinde non approbamus quae habet §. 248. *Deus*, ait, *et creaturae invicem opponuntur*, *non ex eo quod existant*, *sed ex vario tantum quo existunt modo*. *Porro creaturae ex quo existunt postulant sibi principium atque unicum quare existunt.* Nos ad omnem excludendam *aequivocationem* addimus non solum *quare existunt*, sed etiam quare sint educta ex nihilo nullo alio ente, vel spatio praeexistente.

Ex pag. 13. §. 16.

Hac posita creationis idea, nulla ratione possibile foret ut exhauriatur creandarum Substantiarum numerus (9). Hoc dici non posse,

---

Observationes

(8) Oriuntur haec ab ideis antecedentibus, quae quando comptiores, ut debent, evaserint, consectaberis aequivocum, nec invenies. Rationem quam affers, *opposita sunt ea etc.* locum habet, spectata existentia cum modo existendi *finito*, vel *infinito*, ut Mastrofinius postulat, non abstracte considerata sine modo isto: sic nomen entis vel substantiae imponitur ex consuetudine scholarum omnium tam Enti necessario, quam Enti contingenti, tuque ipse id habes in more positum: et tamen duo haec cum definite ut talia spectantur, opponuntur. Pater mi, quae vera sunt tibi, ne vera esse desinant cum obloqueris ei, ad quem alii te delignnt adversarium. Quae sequuntur usque ad notae finem, antecedenti observatione consumuntur.

Quae vero addis ad excludendam aequivocationem, videas ne ad conflandam invidiam addideris. Non ab his tamen impetitur Mastrofinius: nam in opere universo agit de creatione ex nihilo, non a re quavis alia praeexistente: de creatione, inquam, facta per Trinitatem Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, unico semper et eodem, et inseparabili, quamquam liberrimo actu.

(9) Consecutionis hujus nexus vix constat: sed transmittatur: plusculum sinceritatis, mi Pater, ac lites aberunt. Exponam Mastrofinii scopum, ac patebit uter melius Dei causae consulerit. Metaphy-

quin simul diceretur ipsam Dei vim imminutam esse atque confectam, colligitur ex idea creationis ex nihilo. Deceptus igitur fuit Mastrofinius Met. Sub. lib. 4. C. 5. §. 370. dum hanc responsionem dari posse contendit iis, qui docent Deum non posse actu creare substantias omnes scilicet quae possibiles sunt, uti nos sustinemus. Sic vel virtus Dei non esset infinita, vel Deus infinitis modis non esset participabilis, quae duo plane absurda esse propugnamus. At ipse addit: *Cur non potius dicamus vitium esse substantiarum, quae ut procreentur desunt non divinae vis, quae absumpta fuerit, atque restincta?* Sed quomodo poterit esse substantiarum vitium, si non adsunt? Si propemodum infinitas potuit ex nihilo educere substantias Deus, ecqua ratione et alias producere haud poterit? Fortasse proprie dicta eductio ex nihilo negatur (10). Ideo ad rem non esse exemplum

---

OBSERVATIONES

sicus ille quaestionem agitat, an valeat Deus procreare simul omnia, quae creari possunt: rationes in utramque partem congerit; ac postmodum quaestionem injudicatam dimittens, scribit §. 373. *Ne videar itaque intemperanter ac stulte quidquam constituere, neve demonstrationis hujus rationibus noceam; placet mihi judicium sustinere meum, omnemque controversiam in medio relinquere. Quod maxime tamen ad praesens institutum pertinet, veluti indubitatam, ac certam propositionem hanc efferam.* Divina vis creatrix peraeque in Deo est summa, sive Deus actu possit eodem tempore creare singulas substantias infinities infinitas, sive creare singulas eodem tempore non valeat = Lectores judicaverint uter melius Deo prospexerit, qui asserat Deum nequire procreare omnia nisi confecta vis ejus dicatur, an qui dicat vim illius manere integram ac perinde summam, etiamsi cuncta quae potest, simul procrearet. Ceterum sequi minutatim singula tua verba nimium longum esset, nec utile cuiquam.

(10) Tu videris quanto candore, Pater mi, objicias ista Philosopho, qui nihil agit acrius ac firmius, nisi ut ostendat creatricem Dei vim ex nihilo, atque illam longe esse excellentiorem quam vulgo putetur! Nam passim dicitur Deum condere substantias posse infinitas: et Mastrofinius haec habet §. 375. Ex his vero *NITIDE PERCIPITUR Divinam vim esse infinities infinitam. Nam ea potis est condere de nihilo substantias infinities infinitas.* = Ausim dicere: fortasse nullam metaphysicam tam certo, vel tam cumulate Dei vim creatricem ex nihilo constituere = Et vide quanta cum ejus libertate: in §. 228. habes: *Si creaturae sint, quoque Trinitas putanda est*

quod addit, cuilibet fit evidens, atque manifestum „ *Ut si pictori tabulae, quas pingat, prorsus defuerint; istas ego defecisse dixerim, non pictoris vim, aut artem, quae delineare plura non possit.*

Ex pag. 13. nota 16.

Aut Mastrofinius substantias, ac res a Deo productas esse omnia illa, quae a Deo produci poterant, ita ut novas substantias producere nequeat, aut res a Deo productas esse proprie infinitas, putat. Si primum dicit Mastrofinius, tunc scholastici rite observant hac in hypothesi fuisse virtutem Dei finitam, quod plane repugnat; si autem alterum, tunc observant nunquam esse proprie infinitum quod est productum, ac productionem infinitati proprie dictae haud convenire posse, ac sese contradictorie opponi. Unde ad rem non videntur ea, quae hoc in loco subdit Cl. auctor, *ad minimum concedi debet, Deum si cunctas uno tempore substantias produxisset, habiturum potestatem eas in nihilum vertendi, ac deinceps iterum producendi* „ Nos primum negamus, siquidem substantiae possibiles sunt proprie infinitae cum nil aliud sint nisi ipsa divina essentia, prout est infinitis modis PARTICIPABILIS; Cum autem Deus nunquam producere possit universas possibiles substantias, locum non habet quaestio, an possint et iterum produci substantiae illae. Sed dato quod illas posset producere, immo et produceret, certe eas in nihilum vertere, et deinceps iterum producere posse non inficiamur „ *Ergo* ipse infert, *Divina vis creatrix non exhausta illa quidem esset; verum integra mansisset* „ Certe siquidem, sed scholastici hoc fieri posse impugnant, quia implicat contradictionem, ut possibiles quascumque veri nominis substantias procrearet Deus (11).

Observationes

existere, non autem e contra; cum libera sit rerum procreatio. Tandem in §. 315. legitur: *Iam vero vis ista* (Divina) *cum extra se funditur, tum existentias producit rerum quarumcumque et quem usque ad numerum voluerit dummodo sint illae FINITAE, ab ipsoque Deo DISTINCTAE penitus vel SEPARATAE.* Perpetuo autem docetur identitas et inseparabilitas operationis Divinarum personarum dum agunt extra se, nimirum cum de nihilo vocant ad existentiam, entia quae non existebant, vel dum ea conservant etc. Vide libri sexti integrum caput V. et VI.

(11) Vid. n. antecedentem, et intelliges quae sit ista tua ad ca-

Ex pag. 16. §. 24.

Cum igitur Deus immensus, seu ubique esse dicatur ex tempore (12) sequitur hoc attributum non esse rationem, ut docet Cl. Mastrofinius, qua corpora eminenter dicuntur esse in Deo „ *Corpus*, ait ipse, *eminenter inest Deo qui loca omnia complexu suo circumambit, vicem sustinet corporeae alterius crassaeque extensionis, vel quia vim continet fabricandorum corporum* „ quare non dixit quia vim habet corpora ex nihilo creandi? (13).

Ex pag. 17. §. 26:

Hac suarum perfectionum manifestatione nulla ratione indiguisse, nec indigere Deum sustinemus, ac in ea non essentialem, sed ut ajunt scholae, accidentalem gloriam constitui debere. Absque hac di-

---

OBSERVATIONES

villandum intempestivitas. Dumtaxat addo: Si Mastrofinius sententiam cohibuit suam; qua de caussa scholasticos opponis? Pater mi, sinas dicere me: quanta tuis in istis exercitationibus discrepantia! modo nil sapis nisi cum Condillaco et Lokio, et Bacone tuo, qui non execrati tantum sunt scholasticos, modo cum scholasticis deliciae sunt tuae, qui frontem in istos obnubilassent totam. Qui Dei caussam tractat, simplicissimo sit animo necesse est.

(12) Extra parietes vestros, Pater mi, non isto modo explicatur immensitas; sed spectatur illa etiam in infinitate naturae, quae infinitas, omnino nil est temporarium, vel in tempore inceptum. Intelliges id ex Petavii libro tertio de Theologicis dogmatibus cap. 7, 8, 9, et 10. Hinc incipit cap 7. *De aeternitate dixi; quae est aevi ac temporis IMMENSITAS*. Re, ut facis, intellecta, diceres aeternitatem inceptam in tempore? Sed vide Laurentium Berti in lib. 2. de Theologicis disciplinis c. 4. Inter Scriptores elementorum, Tamagna inquit: Metaph. par. 3. sect. 2. art. 7. = *Immensitas illud dicitur attributum quo ens est ubique per suam ESSENTIAM, scientiam, et potentiam*. Respice igitur in immensitate etiam naturae vel essentiae infinitatem, qua infinitate Deus est ubique, neque criminaberis.

(13) *Quare etc.* Caeteris hanc do caussam, ut varietur phrasis: tibi et hanc, et aliam expositam N. 362. Metaphysicae sublimioris, quam debebas ex integro legere iterum atque iterum, non obtrectandi causas quaerere.

stinctione (14) aequivoca nobis videntur ea quae habet Mastrofinius lib. C. 1. §. 448. *Gloriam Dei voco manifestationem divinarum per-*

Observationes

(14) Non est ita, mi Pater: candorem, aequitatem, vel diligentiam imploro tuam. Mastrofinius generatim quid sit Dei Gloria definit, ut deinceps characteres consideret Gloriae exterius manifestatae, vel essentialis, quam vocant: Sic antea definimus quid sit intelligentia, ut postmodo ex generali definitione transeamus ad circumscribendum quid finita poscat intelligentia, quidve infinita. Idq. plusquam satis esset. Re sic generatim spectata, jam quaerit Mastrofinius qui fuerit creationis finis. Vocibus, quas extrahis de Metaphysica subduntur hae §. 449. *Qua re constituta, jam inquam, Divinae Gloriae manifestationem esse finem, quo Deus perductus est ad creationem absolvendam. Nam Is omnia propter se ipsum molitus est. Ecquid vero sibi per creationem, nisi gloriam suam quaesivisset? Certe si res contra esset; jam creaturae vel Dei necessitatem quamdam explerent, vel huic essent adjumento. Nihil porro istorum, ne suspicari quidem in Deo possumus. Restat igitur ut Divinae Gloriae patefactio, non aliud, obversata Deo sit perinde ut finis ineundae creationis.* Vides finem creationis esse manifestationem Dei gloriae, quod est prope commune inter philosophos, imo et scripturis longe consentaneum, ubi legimus psalm. 18. *Coeli enarrant gloriam Dei:* et psalm. 120. *Magna opera Domini..... Confessio et Magnificentia opus ejus:* id est auctorem de quo provenit, confitetur, conclamat, magnificat. Hinc Paulus ad Rom. c. 1. *Invisibilia ejus per ea quae facta sunt intellectu conspiciuntur:* animadvertis? per ea, quae facta sunt, intelligendo, conspiciuntur invisibilia Dei, nempre praeclarae, ac sublimissimae illius dotes. Quare Basilius docebat orat. 2. de hominis struct. „ *Mundus hic universus veluti liber quidam scriptus est, qui Dei laudem atque gloriam in memoriam revocet* etc. Extant haec omnia apud Mastrofinium prope locum quem insidiaris. Vides creationis finem esse Dei Gloriam? Jam Mastrofinius addebat, in antea relato §. 449. *Ecquid vero sibi per creationem, nisi gloriam suam* (Deus) *quaesivisset? Certe si res contra esset; jam creaturae vel Dei necessitatem quamdam explerent, vel huic essent adjumento. Nihil porro istorum, ne suspicari quidem in Deo possumus.* Vides creaturas non *EXPLERE* Dei *NECESSITATEM*, imo nec *ESSE ADJUMENTO* nec *POSSE* nos quidquam istorum *SUSPICARI?* Gloria autem essentialis,

fectionum. Itaque tanto Major Dei gloria censenda erit, quanto excellentius facta sit expressio proprietatum quae ipsum circumfulgent. Haec si de essentiali Dei gloria dicta sint, uti eo toto contextu loqui videtur Mastrofinius, aperte sunt falsa. Deus enim nec propter sui gloriam, (15) nec propter suam felicitatem, nec propter aliquid aliud hujus productionis rerum ex nihilo, sive suae bonitatis manifestationis, et communicationis non indigebat, nec indiget.

Ex pag. 16. nota 20.

De hoc attributo disserit Cl. auctor etiam l. 1. c. 7. n. 94. *Nonne magnificum, admirandum, et propemodum incredibile est Divinam Substantiam complexu suo coaequare loca omnia, et interim ubique totam adesse in loco quolibet, uicumque exiguissimo? nonne veritas est perinde sublimis, vel prope sublimior altera Trinitatis?* Hic confundere nobis videtur laudatus auctor attributa temporaria cum iis, quae ex fide scimus Divinam constituere essentiam; ac miramur et valde miramur Cl. auctorem hoc attributum temporarium vocare aeque sublime, imo etiam Trinitate sublimius. (16)

2

Observationes

omnino necessaria est. Quare Mastrofinius manifesto non loquitur ibi de gloria essentiali, sed generatim tantum, quid gloria sit Dei definit; ut postmodum pertranseat ad utramque gloriam externam scilicet vel essentialem contemplandam, ut protinus de externa incipit facere.

(15) Ut in Mastrofinium saevias, pene non irruis in Deum: Deus neque ad gloriam suam, neque ad felicitatem creaturis egebat: verissimum dico: atqui universa tamen propter seipsum molitus est Deus, ut Divinae habent literae: ad gloriam nempe suam extra se revelandam. Quare mitius, temperatius, prudentius loquere, ne pro Mastrofinio in Deum incidas. Oh quam formidandum in Dei manus incidere!

(16) Etiam haec nota in eo incumbit quod Mastrofinius immensitatem explicet more caeterorum, non tui: atqui, Pater mi, qui de Trinitate scribit maxime adversus prophanos, debet notiones capere, ut multitudo capit, quo tenebras et lites quam fieri potest maxime, secludat: specta sensum, non verborum sis auceps: plus quam nostra, valeat Dei causa. Oh Marsili! si in §. 23. dum originem immensi-

Ex pag. 20. nota 24.

Ex hisce ad rem (17) non videntur esse quae docet Cl. Mastrofinius in suo celebri, ac perpolito opere Met. Sub. de Deo trino et uno lib. 1. c. 7. §. 94.

Ex pag. 21. §. 34.

Nil igitur mirum erit si dicamus contra Abaelardum, et Raymundum Lullum, nullimode per rationem naturalem cognosci posse trium personarum existentiam in Divinis, sed esse mysterium omni humanae rationi impervium. Proinde (18) Cl. Mastrofinius (*in sua Me-*

Observationes

tatis assignas, inquis: *Et si catholicos inter adsit in hisce rebus explicandis differentia, nullum ex ea sumere queunt patrocinium impii homines*; quare tu, sanctus cum sis, hoc sumis adversus fratrem tuum? Tu autem videris de modo quo tu loqueris: Ego certe vererer si Romae dicerem immensitatem caepise in tempore, ne lapidibus obruerer.

(17) *Ad rem* etc. supple, tuam, non Petavii, non Berti, non aliorum. Quod hic citas est id ipsum quod in nota 20. descripseras. Quare iterum dico: explica immensitatem ut caeteri explicant: cunctaeque tuae dilabentur difficultates. Rixandi materies quaeritur? Charitas, ut ex Paulo accipio, operit multitudinem peccatorum. Tu Pater mi, delicta quae reveles, fabricaris in fratrem? Dicam mitius, qui fit ut videaris videre illa, ubi non leguntur?

(18) Non cohaerent ista, Pater mi: concludis non posse per rationem naturalem cognosci trium Divinarum personarum existentiam; ac vis id ipsum Mastrofinium transferre: atqui longe dispar est casus: nam hic de ratione loquitur perpetuo, quam revelatio roboraverit, non de ratione, quae revelationem deserat, vel seponat. Hinc opus inscribitur: *Humanae rationis tentamen ad trium in uno simplicissimoque Deo Personarum existentiam revelatione jam notam demonstrandam:* adnota tria haec et *tentamen*, et *existentiam*, et *revelatione jam notam*. Mastrofinius his limitibus meditationes coercuit suas; nec unquam existimavit naturali tantum ratione posse pervenire ad existentiae, nedum ad mysterii demonstrationem. Pater mi, sic transvertis omnia? Item! Contemplantem omnia infatigabili oculo Trinitatem revereamur.

taphysica Subliminori) irrito conatu tentavit ad augustissimae Trinitatis mysterii demonstrationem, naturali hominis ducente ratione, pervenire: existimans siquidem humanam rationem ferri posse ad hanc evincendam existentiam ex eo, quod ex rebus creatis suminius *Divinae essentiae* (19) ejusque unitatis notitiam, cui, ut ipse subdit, intime conjungitur Trinitatis notio, quam a Dei unitate haud separari posse, solam fidem docere, nos dicimus. Qua ratione a nobis Divina cognoscatur essentia, jam vidimus: unitatem vero Deo tribuimus, quia illius ideam includi uti necessarium elementum in infinitae perfectionis notione perspeximus: sed trium personarum existentiam nullo pacto in illis contineri ideis, quas Deo analysis tribuimus ope (20), *omnibus* clarum est, atque manifestum.

Ex pag. 21. nota 26.

Cl. Mastrofinius lib. 3. c. 7. §. 476. ostendit in creata re ullum haud posse occurrere exemplar trinae, et indivisae subsistentiae. Ergo nos inferimus nullum haberi posse fundamentum ad illam demon-

OBSERVATIONES

(19) Castiganda haec est dictio: Mastrofinius habet §. 91. „ *Res quae existunt subsistere nequeunt absque Divinae substantiae interventu, vel quod idem est, res dum existunt necessario nexu cohaerent cum Divina substantia, perinde ut causa: Divina porro substantia arctissimis vinculis conjuncta est cum Divinis personis utpote quae non nisi cogitatione tenus ab ea distinguantur. Itaque inter nos resque caeteras creatas dum existunt, interque Divinas personas nexus est necessarius, jam vero ad quidquam demonstrandum non aliud requiritur vel subesse debet nisi rerum connexio: Ergo Trinitatis demonstrari potest existentia:* ac deinde §. 92. *Probandum hoc sumitur nisi tamen revelatio praeivise ponatur, nunquam a te Trinitas demonstrari potest* etc. Ubi in his legitur sumere nos *ex rebus creatis Divinae essentiae notitiam*. Divinam substantiam ut causam cognosci scribitur: non essentiam, in ipsa quam scholae vocavere *quidditate* sua, et *quidditatis* abysso. Quis vero tuto negaverit creaturas nexas esse cum Divina substantia ut causa?

(20) Quomodo omnibus? Cur non legisti quot in eam demonstrationem insudaverint supposita jam revelatione? Mastrofinius fusissime id exposuit in primo libro capitibus IV, V, et VI. Sed relege horum nomina in observationum nota prima.

strandam (21). Hac nostra aetate a philosophis de iis solum ideis disserendum esse, quae in ultima analysi resolvuntur ad sensationes, ad intimum sensum, omnes fatentur, iis exceptis, qui ideas prosequuntur innatas (22). Unde Mastrofinii demonstrationes inventoris ingenium, at non veritatem patefacere posse nos affirmare non veremur.

Ex pag. 22. nota 27.

Eo vel minus probare possumus, quae habet Cl. auctor Met. subl. de Deo trino et uno lib. 1. c. 7. §. 1. *Res quae existunt*, ipse

---

OBSERVATIONES

(21) Debebat addere, ut rite concluderet, *ab exemplari ullo trinae et indivisae substantiae* ut sumitur in antecedente. Atqui Mastrofinius omnino non sumit ab exemplari hoc initia tentaminum ad Trinitatis convincendam existentiam. Copiose id ostenditur in ipsa Metaphysica lib. 6. cap. 6. et clarissime etiam in opusculo *Annotazioni su l'esame imparziale dei due primi libri della Metafisica sublimiore* in nota sexta ubi concluditur: *Mastrofini ha letto, nè trovata opposizione, 1. perchè tanti gravi e santi Uomini aveano già eseguita col fatto la dimostrazione impugnata: 2. perchè i testi allegati in quel* sed contra *provano al più che la Trinità non si può comprendere: e Mastrofini ha tentato convincerne la esistenza non comprendere tutto lo scibile intorno di essa: 3. perchè ci si parla di ragion naturale senza la rivelazione; e Mastrofini parla di ragion naturale, presupposta sempre la rivelazione: 4. perchè Mastrofini lasciava le vie naturali contraddette, e destinava camminare per altre vie diversissime*. Vide et not. 47. Observationum.

(22) Tui miserear an doleam, sum anceps. Nam profers nomina ignorato, vel non attento nominum significato. Intimus sensus, mi Pater, est sensus ille vel intuitus, vel conscientia, vel perceptio seu judicium, quo mens videt ipsa seipsam, vel affectiones quae in ipsa sunt mente: Quare etiam in casu idearum innatarum si darentur, intimus sensus eas videret; Non videt autem, hinc non dantur. Quid loqueris quasi mens ab istis ideis, facere initium possit, nec sentiat ideas, de quibus proficisceretur? Hiccine fructus Analyseon tuarum? Haec illa tam luculenta perspicuitas tua? Hinc exprobatio in eos qui tecum non sapiunt? Mi Pater, lucem tuam omnem tibi serva, ac inviolatam.

ait, *existere nequeunt absque Divinae substantiae interventu: vel quod idem est res dum existunt necessario nexu cohaerent cum Divina substantia perinde ut causa. Divina porro substantia arctissimis vinculis conjuncta est cum Divinis personis, utpote quae nonnisi cogitatione tenus ab ea distinguantur. Itaque inter nos, resque caeteras creatas, dum existunt, interque Divinas personas nexus inest necessarius. Iam vero ad quidquam demonstrandum non aliud requiritur, vel subesse debet nisi rerum connexio: Ergo Trinitatis demonstrari potest existentia.*

Iam nullam a nobis haberi creationis ideam (23) fassi fuimus, quamvis plane cognoscamus res haud existere potuisse, si Deus eas minime creavisset. Nullam igitur ideam habemus de hoc *Divinae substantiae interventu* (24) quam quidem ideam necessariam fore, ut sequi possent, quae subdit Doctus Auctor, quisque videt. Pari ratione cognoscimus res existentes necessario nexu dependere a Deo, sed Deum nullo necessario nexu rebus cohaerere, vidimus. Unde quamvis fateamur Divinam substantiam arctissimis vinculis conjunctam esse cum Divinis personis, statim ac illam nulla ratione cognoscimus uti est in seipsa, sed solum prout a rebus creatis imperfecte admodum repraesentatur (25); nec et istas cognosci posse nisi ex Fide, quisque facili intelliget negotio.

OBSERVATIONES

(23) Cautius exprimenda sunt ista: nec enim generatim est verum, nullam a nobis haberi creationis ideam: latet modus creationis, non facta creatio, aut necessitas admittendi creatoris.

(24) Id est de modo quo creationem peregerit, non quod non intervenerit, aut sit ille, substantia, ac potestate infinitus: Quod si negaveris, Pater mi, creationem negaveris. Vide etiam atque etiam quo sis prorupturus. Ubi autem incolumis maneat, pateatque interventus certus Entis substantia ac potestate infiniti; jam incolume permanet, certoque constat totum id quod Mastrofinius poscit, ac sumit.

(25) Necesse non est noscere Divinam snbstantiam ut est in seipsa, ad Trinitatem concludendam ratione, quam fides roboraverit. Numquam id postulavit Mastrofinius. Consule not. . . . 47.: scrutare demonstrationes illius, et vide: quare in istis tuis glomeramen est vocum, non sapientium ros matutinum. Argutiolis? discipulis eges? Exere generosam mentem: nam habes: te sequere, non alios: et veritas triumphaverit.

Inter omnes veritates inesse necessarium nexum, sequitur ex eo quod veritas proprie loquendo est una, scilicet D. O. M. in quo omnes continentur; possibilia enim, seu veritates nil aliud sunt, uti observat S. D. nisi ipsamet Divina essentia, prout est diversimode participabilis. Admisso *quod inter nos, resque caeteras creatas dum existunt, interque Divinas personas nexus inesse necessarius*, minime sequeretur Trinitatis demonstrari posse existentiam. Ut haec conficeretur demonstratio 1.° necessarius foret nexus tum ex parte causae, tum ex parte effectus: at (26) creaturas inter et Deum necessitas adest tantum ex parte creaturarum: 2. negamus ad demonstrandum sufficere nexum: (27) sed necessario requiritur ut idea probanda contineatur in alia idea, ex qua deducitur: at in ideis creaturarum (28) minime adsunt ideae, quibus Divina dignosci potest substantia. Ergo tota corruere nobis videtur Cl. Mastrofinii ratiocinatio.

Observationes

(26) Id undique falsum. Nam Deus etiam, dum creaturae existunt, nectitur cum creaturis: Etenim continuata actione sua Deus creaturas detinet in existentia, ad earum operationes concurrit, iis providet.

(27) Ad demonstrandum negas sufficere nexum: sed necessario, ut ais, requiritur, ut idea probanda contineatur in alia idea, ex qua deducitur: dic, Pater mi, nonne contineri ideam in idea, est alteram cum altera nexam esse? Nexum quem negas sufficere, hunc exigis?

(28) Hic ais: in ideis creaturarum minime adsunt ideae quibus divina dignosci possit substantia: ac §. 53. scripseras: Deus (in hoc conjunctionis statu) nec sensu, nec imaginatione videtur, sed solo intellectu, ut ait S. Doctor art. 3. scilicet per deductionem, seu demonstrationem: Et §. 35. *Essentiam igitur Dei non cognoscimus* sed eam cognoscimus sicuti creaturae, ut ait S. Doctor, imperfecte eam repraesentant: amabo, cujusmodi sunt haec? *In creaturis non adesse ideas quibus Divina dignosci possit substantia, et nos ita in terris peregrinari ut intellectu videamus Deum per deductionem, seu demonstrationem? Vel in ideis creaturarum non adsunt ideae quibus divina dignosci possit substantia et cognoscimus imperfecte sicuti creaturae repraesentant.* Agnoscimus? non agnoscimus? Definito, utram eligam sententiarum, ac deinceps de illa commentabor. Ne depropera, Pater mi; neque credideris te unum in templo sospitem veritatis. Tuam undique disjectam vides artem ratiocinandi, non Ma-

Ejus argumentationem (29) in Platonicorum systematibus, seu Cartesii, Malebranchii, Leibnitzii, Kant, Mercier, Villers doctis eruditisque fabulis concludere posse, haud inficiamur: at nos cuncta systemata angue pejus refugimus, praesertimque hujusmodi Platonicorum visiones, et somnia. Philosophos istos pulsisse peripateticorum errores non inficiamur, sed substituisse suos illisque pejores universa hodie testatur literaria respublica. Immo non desunt, qui eorum sententias nedum ad fanatismum verum etiam ad incredulitatem, ad Pantheismum ducere tradiderunt. Mastrofinius vir itaque peracuti ingenii, omnigenae eruditionis, ac doctrinae cavere debebat quasdam Formulas, quae si a veteribus adhibitae fuerint, nunc illas non adhiberent amplius (30). Quis ignorat abusus quos Spinoza effecit de pluribus scholasticorum vocibus? Nemo tamen ignorat, postmodum majores adhibuisse cautelas scholasticos ipsos, ne invidis calumniandi arma, ignorantibus scandalum, impiis patrocinium suppeditare viderentur.

Hoc igitur efficere debebat et Mastrofinius, cum ipse ignorare non poterat, quosdam scriptores, postquam Spinosismus invaluit, ubique eum cernere. Genuensis aliique nedum in Platonicorum systematibus, sed in materia quoque prima Peripateticorum, in uni-

---

OBSERVATIONES

trofinii alteram. Si dixeris non agnosci omnino de creaturis Deum; actum de universa religione erit: si cognosci dixeris imperfecte; id satis est: agit enim sublimior Metaphysica de cognitione imperfecta, non de perfecta, et comprehensiva quam vocant.

(30) Oporteret, mi Pater, assignare quae sint hae formulae Veterum quas illi non adhiberent amplius, ac Mastrofinius adhibuit: nam ut asseris tu, sic alter negat: auctor opusculi *Esame imparziale* crimini dabat non paucas expressiones, et responsione facta fatendum fuit examinatorem illum et ejus patronos criminatos formulas ut novas, quia novae erant ipsis, peregrinis admodum in scientia illa: Mi Pater, penes analystas tuos coluisti satis materiem illam tam arduam, tam sanctam, tam excelsam. Ne festines, oro, unde sera poenitentia tollit reditum: Et conjunctio illa tua. *Quis ignorat abusus quos Spinoza fecit de pluribus scholasticorum vocibus?* haec inquam conjunctio quo dirigitur? ad calumniandum, an ad sapientissimi animi tui zelum, quo non purius aliud, explicandum, et obtestandum? Cur non dapes et vinum, cur non gemmas et aurum exterminas, quia tot tantique abutuntur? An Theologiam, an philosophiam omnem praeripis, quia quis posset iisdem abuti.

versali Scoti a parte rei, immo impius Tolandus Pantheismum et in Divo vidit Paulo (31). Nulla perinde foret nostra admiratio, si aliquis propter quasdam formulas indeterminatas, quae hac nostra aetate haud videri nequeunt ambiguae, Mastrofinius in Spinosismi suspicionem vocaretur, ac suas notiones a Kuffellero, quem sequenti n. refutamus, mutuatus fuisse putaretur. Nos certe ab hisce dicteriis semper cavebimus (32), cum nil atrocius esse possit, quam erroris crimen tribuere illi, qui ad aliquod opus conficiendum recta intentione bonaque fide admovit manum. Nil est eo injustius quam alicui auctori imputare consequentias, quae vel ab auctore ignorantur, vel negantur, vel a solis videntur adversariis: hinc est illud commune proloquium *Cave a consequentariis*.

Haec dicta sint ad patefaciendam omnibus venerationem nostram erga Cl. Virum, qui merito adeo in republica emicat literaria. Ipse siquidem non ex jactantia scripsisse protestatus fuit, sed in re tanta

---

Observationes

(31) Quae est ista tua in scribendo sapientia? Qui mature aestimet illam, concluderet Divum Paulum non satis caute scripsisse, quia Tolandus in ipso vidit Pantheismum, ut alii in aliis. Oh Pater! Si Mastrofinius unquam venerit, non veniet autem, nec enim est caussa, nisi fortasse quam tu lento molimine praeparas, in suspicionem Pantheismi modo isto, quo Divus Paulus apud Tolandum; pro certo habeto, illum exultaturum. Nam diu jam mente recolit Apostolos ivisse gaudentes dum contumelias paterentur pro nomine Jesu. Quaeramus, mi Pater, gloriam Sanctae Trinitatis, et cachinnentur, subsannentur, criminentur. Ne timeamus cum exprobaverint nomen nostrum, et maledixerint nobis mentientes (ii scilicet) propter Deum; quoniam merces nostra copiosa est in coelis: spero equidem, ac suspiro, nisi inde meae me repulerint culpae. Atqui et Athanasius, et Nazianzenus, et Nyssenus, et Hilarius, et Augustinus in crimen venerunt ob sanctam, quam tam bene scribendo, docendoque celebravere Trinitatem.

(32) *Cavebimus*: Pater mi, caves? Et nemo tam inclamavit vehementer, nemo tam alte signum sustulit, ut fieret in Metaphysicam incursio. Tantus animi dolor, ne ratio, quam fides aluit, meditando, et concludendo Trinitatis evincat existentiam? Si causam ageres incredulorum, an potuisses unquam insidiosius immittere nubem suspicionum, bellique facem inflammare? Amice, compone facta dictis.

paventem, ac trementem, ut Dei caussam tueretur, ac Religionis, quibus nil clarius habere declarat, et ideo concludit ipse *et nisi possint, vel debeant mihi favere, indignissimo certe qui divina pertractem, indulgeant saltem, vel ignoscant bonae voluntati.*

Ex pag. 23. §. 35.

Quamvis arctissimus sit nexus, quo creaturae conjunguntur Deo, nullam tamen importare relationem realem ex parte Dei, eruitur ex Divinae immutabilitatis idea (33). Unde nexus adest necessarius ex

---

Observationes

(33) Nil turbatius genere hoc scribendi. Relatio, inquit Genuensis. Elem. metaph. part. 1. c. 2. *est nexus unius rei cum alia*: tu nexum admittis, ac relationem removes. Sed agamus luculentissime: scribit Storkenau. Ontolog. sect. 2. c. 3. §. LIX. *Entia quae inter se comparantur* Relata *dicuntur, idque quod refertur ad alterum subjectum* relationis*: hoc vero terminus* relationis .... *Quod si in utroque ratio insit, ob quam ad sese mutuo referri queant* correlata *audiunt. Correlata sunt* ex. grat. *Creator, et creatura*: Vis clarius quidquam? non modo it relatio de creaturis ad Deum creatorem, verum de Deo creatore ad creaturas: Iam et abnormior est caussa quare dicas nexum creaturarum cum Deo nullam importare relationem: id erui dicis ex idea immutabilitatis: atqui penes Theologos, vide Pet. *de Theolog. Dogmatibus* T. 1. l. 3. c. 2. §. 12. lego = Deum creando non esse mutatum quia creatoris nomen *relative* dicitur: tu ex immutabilitate relationem negas? Theologi consideratione relationis immutabilitatem vindicant, tu immutabilitate relationem adimis? Nonne ex eorum sensu dicerere velle et immutabilitatem tollere. Sed his consequentiis non immineo, vel insisto. Id certum: si alio uteris idiomate ac genus humanum utitur; quaere alios, non genus humanum ad cujus aures accedas.

Quoniam igitur quae sequuntur in hoc paragrapho innituntur tam aperto abusu aut ignoratione nominum, hinc portenta sunt illa: *adesse nexum creaturarum cum Deo, ac nexum esse ex parte creaturarum non Dei creatoris*, id est ejus qui fecit, et conservat, nempe continuata veluti creatione continet in existentia, seu caput nexus manu stringit sua. Ac neniis istis, mi Pater, conaris humanae rationi post revelationem intercludere semitam, qua convincat Divinae Trinitatis existentiam?

parte creaturarum, non vero ex parte Dei, neque quoad nos, neque quoad se; ac proinde diversi omnino generis sunt nexus, quibus res creatae Deo conjunguntur, ac nexus qui adest inter Substantiam Divinam, et Trinitatem. Ideo *(quin utamur hac distinctione, vix*, ut ait Mastrofinius, *opportuna ad ictus evertendos qui publicis in disputationibus, tanta superiorum aetatum garrulitate jaciebantur)* corruunt, quae ipse habet ad probandum demonstrari posse Trinitatem, ex eo quod ista necessario sit connexa cum Dei substantia; substantia vero Dei connexa creaturis. Quaenam est ista comparatio? Essentiam igitur Dei non cognoscimus, sed eam cognoscimus sicuti creaturae, ut ait S. D. p. 1. q. 12. a. 2., imperfecte eam repraesentant; et ideo cum de Deo ratiocinamur ex hac, quam habemus, idea exordiendum esse quisque videt; in hac autem plura distingui, quae in Deo propter ejus infinitatem, simplicitatemque haud distincta sunt, evidenter patet. Aliam igitur contendimus esse ideam, quae Deum repraesentat sicut est in seipso, aliam quam nunc habemus. Impii homines perperam in ratiocinationibus suis confundunt illam ideam, seu Dei cognitionem qua, Dei gratia favente, fruemur in patria, cum illa, quam habemus, dum peregrinamur in corpore.

Ex pag. 24. nota 28.

Ad excludendam hac in re distinctionem *quoad se et quoad nos* seu ad ostendendum Trinitatem Dei cum nostris notionibus connexam esse non solum *quoad se*, *sed etiam quoad nos* hoc utitur exemplo, *Dentur tres annuli quorum unus alterum ingreditur*, *et continet: jam eorum duo manu contrectentur: ergo etiam tertius annulus nobiscum erit connexus*, *utpote qui reliquos duos contingamus*, *cum quibus tertius omnino cohaeret. Nonne desiperet ille*, *qui diceret eos annulos in se quidem*, *non vero quoad nos conjunctos esse? Habet se res proinde in Trinitate. Tria copulata sunt: res creatae dum existunt* (Dantur fortasse res creatae quae non existunt? haec loqnutio alicui mysterium videri posset (34)) *cum Divina substantia*, *Divi-*

Observationes.

(34) Tibi, Pater mi, qui accessisti ad cor altum, et defecisti scrutando: post tantam inveniendorum criminum sitim, deduceris ad voculam, eamque sensu manifestam: res *creatae*, Pater mi, et *creaturae* sunt idem: nunc dictio: creaturae quae existunt, quid mysterii habet? Noluisses indicare me distinctionem inter creaturas posi-

na substantia cum Trinitate. Priorum duorum notiones habemus: hoc est primi duo annuli nobiscum conjuncti sunt. Ergo tertius item: hoc est certissimum, et necessarium dabitur iter Divinam ad Trinitatem. Quod est dicere in se, et quoad nos tria illa devinciri.

Parcat mihi eruditus doctusque auctor si ad suas hae exercitationes pervenerint manus. In hac ratiocinandi methodo nobis videtur methodus illa, quam ii adhibebant auctores, quos superius irridet. Nos jam inficiati fuimus, res creatas copulatas esse cum Divina substantia, quatenus scilicet ex ideis creaturarum pervenire possumus ad cognoscendam Divinam substantiam prout est in se ipsa (35). Animadvertimus (36) insuper, hanc unionem, si adesset, valde ab ea di-

---

OBSERVATIONES

biles, et existentes, ut commodius criminareris: potius notatio tua mysteriosa est quasi distinctionem hanc non recipias, ac necessario cuncta Deus procreaverit, itaque sis cum Pantheismo, vel Spinozismo illo tuo, quem patulis undique naribus olfacis. Itane? Deus avertat. Certe haec una parenthesis tua debet esse indicio longe manifestissimo in scriptione hac tua candorem, et aequitatem desiderari: quique legunt debebunt pro suspectis habere, omnia saltem, quae in subliniorem metaphysicam projicis.

(35) Non est necessarium cognoscere Divinam substantiam prout est in se ipsa, dictum est, ac dicetur iterum. id autem peremptorie dijudicabitur ex tribus methodis, quas auctor Metaph. Sublim. adhibet. Prima methodus hinc proficiscitur ut cognoscatur tantum existere Divina substantia. Dic cognoscimus ex creaturis oportere admitti Divinam substantiam existentem, id est Deum qui existit? Ex hac una tantum notione proficiscitur integra prima demonstratio: secunda ex hac tantum quod existat Deus qui producere substantias possit infinities infinitas: tertia ex hoc ut finis creationis sit manifestatio gloriae Divinae, quin sit necesse pervenire in penetralia, et abyssum Divinae substantiae: poteras perpendisse methodos, non ariolari. Ut quid ad cavillandum tam cara protervitas?

(36) *Animadvertimus:* quo purior fides mortalium abiit? Hic Mastrofinii scopus perpetuus, ut convincat adesse nexum demonstrationum: hinc dictum est antea: *tria copulata sunt, res creatae dum existunt etc.* Vides quam necessarium erat dicere res creatae, dum existunt? ne tu posses dicere copulatas ab aeternitate, sed tantum ab accepta in tempore existentia: quare monitum istud tuum est perinde frivolum, ac malignum.

scriminari, quae inter Dei substantiam, et personas adesse docet fides. Idcirco falsum dicimus a nobis haberi duorum priorum notiones, cum et corporum ignorentur essentiae absolutae (37). Perinde, si duo primi annuli nobiscum conjuncti sunt, non possumus nisi ex prioris existentia, inferre alterius existentiam, et non vice versa. Ergo non sequitur esse nobiscum conjunctum tertium, quia oporteret, ut non solum existentias priorum duorum cognosceremus, sed etiam essentias. Ergo non datur aliquod iter praeter fidem ad Divinam Trinitatem.

Valde tandem (38) periculosum esse dicimus asserere tria illa devinciri, tum quoad se, tum quoad nos; infinita siquidem adest distantia vinculum inter, quo res creatae ad Deum uniuntur, ac illud quod adest inter ipsam Dei substantiam, et Divinas personas: hae, fatente Mastrofinio, a D. substantia distinguuntur cogitatione tenus. Idem forsan dicendum (39) est de distinctione creaturas inter et Deum?

Observationes

(37) Pater mi, serio loqueris? Non sunt creaturae nisi corpora? Mens tua, illam quam hic expto, mens tua non est creatura, eaque non corporea de qua possis argumentari? Atque illud quale est non haberi a nobis duorum priorum notiones, quia et corporum ignorantur essentiae absolutae? Quae sunt illa duo? Ecce: tria copulata sunt: res creatae dum existunt cum Divina substantia: Quia ignorantur corporum essentiae absolutae non habes notionem nexus qui est inter corpora, ac Divinam substantiam, nempe substantiam creatricem? Pater mi, *attende tibi*, jam proximum est ut concludas ignorare nos Deum penitus, ac proinde non existere. Vide igitur quid intersit inter methodos tuas, ac methodum Metaphysicae sublimioris: per tuas hinc ratio utcumque roborata amittit non modo cognitionem Trinitatis, sed fere ipsius etiam Dei: per alteram ipsa ratio non modo incolumem Dei cognitionem retinet, verum ad ipsam Trinitatem agnoscendam, ac venerandam progreditur. Utram catholicus vir philosophiam amplexabitur?

(38) *Valde*. Nil hic novi profertur, quam quod repellitur sub nota 36. Observationum. =

(39) Oportebat legisse, non cavillari, imo legisti ac retices: hic agimus de nexu apto ad demonstrandum, non quod creaturae sint pars, vel personae Divinae substantiae: tu unus repertus es qui sic maligneris. In §. 95. ubi refelluntur illa *quoad se et quoad nos* ut praecludatur difficultas omnis huc redigitur nexus, atque his verbis exponitur: *Vel potius cognitio quam de creaturis habemus, expe-*

Ex pag. 64. Nota 10.

Hinc merito Theologi universi reprobant Leibnitii opus, cujus titulus est *Sacrosancta Trinitas per nova inventa logicae defensa* (40) ec defensionem Trinitatis Mysterii, quam edidit Stillingflet vir Socinianus.

OBSERVATIONES

dito nos itinere ad cognitionem defert Dei, seu Divinae substantiae: haec autem substantia nexa omnino est cum personis. Igitur COGNITIO TRINITATIS ETIAM CONNEXA CUM NOSTRIS EST NOTIONIBUS. Non igitur Trinitas quoad se tantum, sed etiam quoad nos vere nexa est. Ubi sunt hic pericula? quid calumniaris? legantur tres demonstrationes libri III, IV et V, ac deinde libri sexti Cap. V, VI, et VII, in quibus Divinae personae agunt extra se, patebitque tam saepe, tamque multis exponi discrimen illud, ut nemo nisi ex consilio malo, ac perfido corde possit larvam sibi coagmentare periculi.

(40) Nomen Leibnitii quem tam parvi facis, imo quem contemptui habes, quique certe plusculum esset aestimandus, obtinuit a me, saltem ut legerem diligenter quae de ipso scribis. Porro tam abnormia visa sunt quae de illo referebas; ut sumpserim in manus volumen primum operum ejus Genevae editorum anno 1768., quod continet, inter caetera, paucissima illa quae scripsit de Trinitate: cognovi statim te non legisse unquam scriptionem quam citas, cum titulum ipsum reddas aliter ac est apud auctorem suum qui fecerat illum: DEFENSIO TRINITATIS PER NOVA REPERTA LOGICA CONTRA EPISTOLAM ARIANI. Voces illae *contra Epistolam Ariani* prima fronte satis declarabant omnino nil posse continere eorum, quae tu, tam candidus homo, narras. Itaque promptissimo animo defensionem illam totam sum contemplatus. O Pater! ut obstupui! Ibi ne verbum quidem unum eorum quae memoras: Nihil prorsus de MONADE, nihil de altero qui est vis MOVENS, quae nec augetur, nec minuitur, nihil de TERTIO illo quem tam obscure describis: Omnia falsa et *status evolutionis, et spatium immensum quod est omnium possibilium collectio*: falsissima vero in omnibus, in accentu etiam, ut ita scribam, syllabarum, profana illa: *Ratio qua haec possibilium collectio intrinsece emersit, est, PATER*, et caetera omnia quae sequuntur. Defensio illa perpetuo statuit vel poscit Divinam substantiam et simplicem, et prorsus numero unam in tribus Divinis personis: tota

Cum Leibnitius varia posuerit *monadum* genera, quorum unum constituebatur ab una MONADE omnium PERFECTISSIMA, quae simultanee, ac distincte omnia possibilia repraesentet, quam Deum O. M. vocat, alterum ab illis quae habent vires motrices, seu alterum est ipsa *vis movens*, quae nec augetur, nec minuitur, ac tertium a rebus creatis ab hac vi *motrice* productis; hinc ex hoc conficto systemate Divinam Trinitatem quam appellat ter una persona ex *evolutionis statu*, ut quidam ajunt, demonstrare fuit aggressus.

Iuxta igitur haec principia, quae nulla ratione distincta videmus ab illis quae statuit Spinosa, *spatium immensum*, increatum, a Divina constitutum immensitate (cui respondere tradunt eruditi *materiam primam* tum Platonicorum, tum Peripateticorum) est omnium possibilium collectio, cum omnia ab hoc spatio, sive *materia prima* educantur, ac proinde est ipsa Divina essentia in qua ideo omnia eminenter contineri tradunt. *Ratio qua haec possibilium collectio intrinsece emersit est PATER, EXISTENTIA seu vis motrix est Filius. Phaenomena sive creaturae*, vel conjunctiones principiorum, quae actuosa vocant, atque ab aeterno continebantur in spatio, sive in materia prima, constituunt Spiritum Sanctum (41). Quam

---

OBSERVATIONES

incumbit ad solvendum ex Logicae considerationibus validiora argumenta quibus Sociniani abutebantur adversus Trinitatem; ac tanta profunditate solvit, ut non facile quis contra possit obsistere: Et quantum video, solutionibus illis, tacito nomine, est usus Theologus praeclari apud nos nominis in suis operibus; ductus, opinor, eo consilio, ut sociniani agnoscerent fontem earum, ac magis etiam terrerentur quam quivis alter, non tantae apud philosophos celebritatis, posset efficere. Pater mi! quomodo cohaerent ista; tantus animi tui candor, tam ardens, et constans zelus, cum tanta adversus immeritum hominem labe calumniarum? Nonne interest humani generis fama etiam extinctorum? Pater mi si talia de te panderentur... oh! propitiam tibi oro Sanctam Trinitatem: Postquam Leibnitium numeraveris inter corruptores ejusdem, juvas, an laedis apud exteros caussam Trinitatis? favorem, honorem ei comparas, an bellum et execrationem?

(41) Tuque *horribilia* vocas haec? tua ne Pater, an aliorum? Nomen Leibnitii (nam Lipsiae natus est ille anno 1646) mihi *Fabulam Lipsiensem* revocavit in memoriam. Est ea fabula perbreve scriptum, cujus titulus: *Mastrofiniensium operum, metaphysicae*

horribilia et a veritate haec distent, uberrime haec vidimus in Theologia naturali.

OBSERVATIONES

praesertim sublimioris, errores praecipui, seu totius incredulitatis, impietatisque seminarii lues summatim detecta. Typis est editum, subjectis in fine vocibus *Lipsiae anno* 1818; et clam delatum Congregationi omnium maximae, quo execratio fieret, cumque execratione proscriptio tandem sublimioris methaphysicae, quasi tam Piis, tamque sapientibus iis potuisset illudi! Asserendo, non probando profert omnia flagitiosissima illa tamen, ac longissime intolerabilia. Itaque Metaphysicae Sublimioris auctor scriptiunculam denominavit FABULAM LIPSIENSEM, et commentariis perpetuis perculsam, ac stratam emisit. Nunc excusa, et publicata, sermone inclaruit, et admiratione; cum incredibile aetate hac nostra videatur tantam strui posse calumniam: dic, Pater mi, illius fabulae num tu auctor, num tu actor, num plausor? an et plausor, et actor, et auctor, unus idem omnia? O Pater! Conjectatio hinc oritur.

Fabula Lipsiensis eo collineat ut spargat latere in metaphysica sublimiore semina totius incredulitatis, ob id potissime, quasi haec Spinozismum, seu Pantheismum instillet: itaque in §. II. comminiscitur statum *seminis*, *statum evolutionis*, statum operationis, ut a Mastrofinio traditos: mox addit: *illa vis seu status in semine, sive rerum omnium possibilitas dicta est essentia quoque nuncupata, et ab eadem Metaphysica* (Sublimiore) *constituitur, et denominatur PATER, motus vero ille seu apparentia omnium rerum sensibilium dicta EXISTENTIA constituitur, ac denominatur FILIUS: operatio tandem omnium rerum dicta actuositas, denominatur, et constituitur SPIRITUS SANCTUS*: ac paullo ante: *tres isti status in ipsa tota rerum sensibilium universitate, ac infinitate, juxta metaphysicam sublimiorem apprehensi, et excogitati sunt illi, qui Sanctissimam constituunt, et conflant Trinitatem:* oh Pater! non omnino dissident ista ab iis quae in Leibnitium congeris. Leibnitius diu jam fato functus, et celebritate clarior quam qui maxime: non tibi ardor in ipsum studio partium, nec proprie eum tibi delegeras, quem in exercitationibus tuis impeteres. O Pater! omnia sunt contra in Mastrofinio. Tuque scripto deonerans in Leibnitium illa ob defensionem ab eo susceptam Trinitatis, dic, urbanius, amicius, aequius Mastrofinium excepisti? Atqui in exercitationibus his tuis, ubique prope videre in scriptoribus videris hunc Spinozismum, vel Pantheismum:

Ex pag. 65. Not. 10.

Mastrofinius quamvis fateatur hanc mysterii notionem difficillimam omnium esse et supra caeterarum elata gradum, ad Metaphysicen tamen pertinere tradit, ac proinde ex rationis lumine eam demonstrare aggreditur, supposita tamen revelatione. *Vide* §. 125, 268, 316, 348, 430, et quidem hac declaratione. *Non quod revera*, sunt ejus verba in praef. *de iis definite quidquam judicarim, vel judicasse velim existimari. Ita demum, utcumque ingenio connitar, neque adfirmavero, neque negavero quidquam, quod Fidei ratio-*

OBSERVATIONES

Continenter, intento oculo, cum non possis aperte, surripis, invito textu, voculas Mastrofinii, si forte in suspicionem dare possis praeclari hujus tui Spinozismi, ausus etiam dicere, haud fore tibi mirum si aliquando de illo accusaretur (pag.): imo, et aliorum nomine, eos quibus Mastrofinium comparas, ais ad fanatismum, ad incredulitatem, ad Pantheismum (pag. 23) ducere. Pater mi, confer ista cum titulo fabulae Lipsiensis, cum Spinozismo qui per illam effingitur in Mastrofinium, jam dicito: num tu fabulae plausor, num tu actor, et auctor? num omnia? judicium Deo integrum relinquatur: tu noris interim nunc temporis late pervagatam per urbem, tamque ignobilem visam FABULAM LIPSIENSEM, ut honoratior sit inde metaphysica. Fabula vere Lipsiensis dicenda, tum quia Lipsiae data fingitur, tum quia defensionem juvit Clarissimi Lipsiensis. Adde, Pater mi, tertiam causam: exemplar metaphysicae sublimioris unum mittebatur Lipsiam per Marianum de Romanis; theca resignata, extrusum est dante operam Petrosellinio, ac prohibitum, ne Lipsiam deferretur: ab eodem illo prohibitum, qui per se ipsum, scripto suo, facultatem imprimendi, et publicandi operis dederat, postmodo, ut est in urbe notissimum, accusator factus illius, ne quid amplius dicam. Tu nosti Pater, non juvares illum? Num hinc factum ut fabula tamquam Lipsiae data subscriberetur? Atqui factum hinc est etiam ut omnia in lucem eruperint.

Post haec jam vides vacuefactam aestimationem omnium, eorum saltem, quae scribis in Mastrofinium: Nam ubique suspicandum non sincera sit merx quam venditas. Itaque jam abrumpi observationes hae deberent in judicia (et quis talia jam nominet?) quae tu peregrinis exercitationibus tuis interserere adversus Metaphysicam. Placet nihilominus te, tuaque prosequi: Nam pretiosior undique scientia tua

nibus vel minimum possit obesse aliquid alioq in quod damnatum fuit ageret (42). Quandoquidem inter Raymundi Lulli propositiones n. 96. sequens reperitur. *Omnes articuli Fidei .... possunt probari, et probantur per rationes necessarias, demonstrativas, et evidentes*, et Paulus V. sequentem damnavit propositionem: *Mysterium Trinitatis est demonstrabile per rationes naturales*.

Hinc autem rectus ordo (43) postulat ut explicemus Matrofinii

3

OBSERVATIONES

(42) *Alioquin quod damnatum fuit ageret*: qua ex dictione colligo te hic respicere, Pater mi, Mastrofinium ut qui non egerit quod interdictum erat quia praefatus est verba illa, per quae judicium suspendit suum. Re tamen considerata plenius, post lectionem opusculi *Annotazioni su l' Esame imparziale dei due primi Libri della Metafisica sublimiore*, amicior factus, aliunde etiam sic doces non egisse ipsum quod vetaretur: pag. 174. n. 10. *Adnotator cum ipso Mastrofinio duo rite distinguit. Existentiam dogmatis scilicet Trinitatis, et modum dogmatis quo nempe esse possit Deus unus, et trinus. Ipse sibi statuit, ostendere existentiam, non modum, ideoque hoc alterum esse Mysterium, non primum asserit. Fatemur, hanc explicationem prohibere, quominus dicere possimus, Mastrofinium egisse quod damnatum est: nam licet nos contendamus hac in re duo esse mysteria, tum scilicet Trinitatis existentiam, tum ejus modum, tamen cum in propositionibus damnatis, haec non adsit explicatio, propositionibus a S. Sede hac de re damnatis hanc nequimus dare extensionem*.

(43) *Rectus ordo*: rerum an fraudum? Oh! ne particulae sunto ipso corpore grandiores.

Ausus fuisse nobis videtur: ut colligitur ex nota antecedente, hodie non scriberes *ausus fuisse*: nec enim dicitur *audere* cui non est interdictum: Ratio quam addis: *Non enim Scripturae* etc. dissipatam etiam reperis in nota 10. opusculi illius nuper citati; ita ut tu qui legisti nec illam hodie probares: placet tamen sic aliter etiam respondere. In observationibus hic additis ad judicia tua ut vides judicia praecedunt, observationes sequuntur, ac aptantur judiciis: et integrum opus dirigitur non ad probanda judicia, sed rectitudinem observationum et Mastrofinium: sic in metaphysica illa, quamquam communissime antea res conficiantur rationibus, ac postmodum Revelatione, et Patribus, nihilominus omnia intento oculo perducuntur

scopum. Haec propositio, *humanae rationis tentamen ad trium in uno, simplicissimoque Deo personarum existentiam revelatione jam notam demonstrandam,* dupliciter intelligi posse nobis videtur. Uno modo quatenus ex Fidei notionibus ratiocinamur, quod effici potest, immo effici debet; alio modo quatenus mens hominis ne cogitaret quidem de hujus Trinitatis existentia, nisi a Revelatione instrueretur: at postquam ejus per revelationem agnoverit existentiam, mens investigare incipit in rerum natura, et per solam rationem naturalem poscit eam demonstrare. Hoc alterum Mastrofinius tentare ausus fuisse nobis videtur, non enim Scripturae, Patrum auctoritatibus accommodat rationes, sed e contra illae istis, quod certe approbare non possumus, cum et ipse cognoverit suas demonstrationes, Patres non adhibuisse (44) ac ideo *contorsisse* (sic) nos asserere non veremur. Pia-

---

OBSERVATIONES

ad ea quae revelatio dictat confirmanda: hinc tanta sedulitas conciliandi omnia, ne quid adversus illam peccetur. Deinde nexus non semper apparet, saltem in omnibus, quae de Trinitate creduntur: e contrario qui ratione progreditur debet eumdem perpetuo sequi, et exponere. Quare si antea posita fuissent quae revelatio habet, ac postmodum quae ratio; oportuisset identidem nexum interrumpere: quod accidisset molestissimum: et Philosophus causam apud philosophos commendaturus rerum divinarum, adhibita eorum methodo severissima, experietur benigniores. Dic, Pater mi, non erant undique colligenda, et apparanda arma ut victrix Dei caussa triumpharet?

(44) Caute magis, mi Pater; aliud est non adhibuisse Patres nexus eosdem ratiocinandi, aliud non protulisse sententias easdem, quas Mastrofinius habet in Trinitate demonstranda: Primum transmitti potest, secundum omnino est falsum: Hinc in unaquaque demonstratione praesertim in prima, ac tertia quas tu magis impetis, vix demonstrato, ut dabatur, charactere personali unius, aut plurium personarum, statim subjiciuntur integris capitibus auctoritates Patrum, vel Scripturarum etc. quibus doceatur characteres personales qui tribuuntur personis esse adamussim illos quos Majores nostri attribuunt iisdem. Talia sunt capita I, III, et IV, ac VI Libri Primi, et III ac V Libri V. Ita ut Philippus Guidi in Epistola ad Mastrofinium data, ac praemissa ipsi Metaph. scripserit: *Patrum praesertim Graecorum doctrinae collocantur clarissimo in lumine. Ex his eruuntur Theoriae demonstrationum, quae partus tui sunt penitus.* Vides unde pendeant demonstrationes: adi: meditare citata nuper capita; ac longe in asserendo fies aequior.

culum siqnidem existimaremus, dicere Patres de Trinitate philosophice, seu more platonico (45) loquutos fuisse, ac proinde illos hac de re reprehensione dignos declarare, uti tradidit Cl. Petavius. Hic lib. 1. de Trin. c. 1. totam Arianam perfidiam ex Platonicorum commentis causam et originem accepisse quoque docet.

Quae Mastrofinius habet §. 91. de nexu, ac 90. de creaturarum existentia, et creatione, et fine creationis, quibus Trinitatem demonstrari posse confidit, jam satis superque refutavimus in Theologia naturali. Ut existentia D. Trinitatis cognoscatur, oportet ut Dei essentia nota fiat (46): at ex creaturarum existentia nulla ratione ad cognoscendam essentiam Dei progredi posse, demonstravimus, sed solum ad cognoscendam ejus existentiam, et hoc unum ex nexu qui adest creaturas inter et Creatorem, nam creaturae necessario pendent a Deo, non vero e contra. Sic vidimus, finem quem sibi proposuit Deus in creatione dependisse a libera ejus voluntate, ac proinde nil deduci posse ex eo ad ostendendam Trinitatem.

D. Thomas (47) insuper 1. p. 9. 32. a 1. virtutem Dei creativam communem esse toti Trinitati ostendit, unde concludit pertinere ad unitatem essentiae non ad distinctionem personarum. Qua ratione igitur in creatione contineri potest notio Patris, notio Filii, notio Spiritus Sancti? (48) *Divinae tres personae* ait Mastrofinius §. 819. *ita*

Observationes

(45) *Philosophice seu more platonico:* Pater mi, haud synonima sunt duo ista: hinc quae de Petavio profers, non habent nexum.

(46) *In Theologia Naturali:* Quanto successu releges in notis 26. 27. 35. 36. 37. et passim in aliis.

Nota fiat: Modo exigis generatim ut sit nota, modo ut sit nota prout est in se. Inconstantia locutionis nunquam peperit veritatem. Non cohaerere quod dicis releges in nota 35. observationum, ubi confracta jacere miraberis membra propositionum istarum tuarum.

(47) Oportebat legisse, et perpendisse demonstrationes, non cantitare cantilenas istas: nec enim argumentatus est Mastrofinius ex vi prout est communis, sed ab ipsa existentia Dei, in prima demonstratione, ex quantitate vis creatricis, in secunda; et ex fine creationis, in tertia, quae semitae sunt longe alia omnia. Itur ad Americam etsi non per navigationem prope polum Borealem versus Orientem.

(48) *Divinae tres personae etc.* ante has voces Mastrofinius habet: *Ut enim antea tradidi:* quae voces erant referendae, non ex industria praetereundae: antea vero inter caetera sic legitur. Augusti-

sunt creaturarum principium quemadmodum Pater et Filius, est Spiritus Sancti Principium. Quis non videt hujus propositionis falsitatem, ne amplius dicamus (49). *Iam vero ex cognitione Spiritus Sancti tamquam principiati regredi ad cognitionem possumus Patris, et filii tamquam principii, ex quo ille manaverit*. Iocatur hic Mastrofinius. Nos nullum volumus proferre judicium, lectores ex sequentibus libere judicent, nos enim hoc unum hac in nota in animo habemus, exhibere nempe lectoribus Mastrofinii demonstrationes, ac totius operis ideam.

In lib. 2. c. 1. ostendere conatur Cl. Auctor, Adamum habuisse Trinitatis cognitionem, quod et nos minime inficiamur; displicet (50) tamen dubium, quod relinquit §. 127. scilicet *an hanc cognitionem comparaverit ingenii sui viribus sive divinae revelationis interventu*. Rite postea §. 131. observat non raro in Moysis libris reperiri Trinitatis indicia, quamvis suboscura, et revera doctus Gazzaniga Dis. 1. c. 2. ex V. T. auctoritatibus probari solum contendit personarum distinctionem, non vero *consubstantialitatem*.

Posita igitur hac Trinitatis notione sic imperfecta apud Hebraeos, quid erit dicendum de illa, quae apud exteros pervaserit? No-

---

OBSERVATIONES

nus de Trinitate l... c. 19. haec habet: *Sicut Pater et Filius est ad creaturam relative unus creator, et unus Dominus: sic relative ad Spiritum S., unum principium. Ad creaturam vero Pater, et Filius, et Spiritus S. unum Principium, sicut unus creator et Dominus*. Pater mi, ad ista cohorrescerem usus facilitate qua tu uteris ad asserendum. Vide paria locutum Anselmum *capite* 9. *libri de processione Spiritus S.*

(49) Pendent ista ex antecedentibus, quorum auctore Augustino, et Anselmo patefacta falsitas est. Quare quae hic addis benignissimo egent lectore. Dic, Pater mi, nonne de Patre ac Filio tamquam ab uno principio procedit Spiritus S.? nonne per explicationes quas Theologia tradit de principio hoc, mente deferimur ad Spiritum S., deque Spiritu S. ad principium hoc unicum, quod sunt Pater, et Filius? Quomodo ergo jocatur Mastrofinius? Nisi rectissimam fidem tuam certam haberem; heus tu, pene dicerem, de Spiritu Sancto quid sentis?

(50) Displicet? Oh Pater! Cur tu non definis, ac doces illum. Poteras hic tuam aperire mentem. Quanto sincerius Mastrofinii cautionem hinc deduxisses!

lumus determinare an Plato acceperit ex Scripturis hanc notionem (51). Controversias historicas omittimus. *Vide Gazz. diss.* 1. *c.* 1. idem docet Mastrof. §. 54. 55. Id quod non admittimus, hoc est vidi *Platonis tempore Metaphysicas disciplinas magno fuisse in honore*. Condillacus aliique post Baconem, et Lokium Platonis tempore metahysicam ne extitisse quidem, sed eam ortum duxisse ab illo Aristotelis principio *animam esse tamquam tabulam rasam, seu nihil esse in intellectu, seu in anima, nisi prius fuerit in sensu* erudite, ac docte ostenderunt. Et ultimis temporibus, quibus Cartesii, Malebranchii, Leibnitii, Wolphii, Kant, Mercier, Villers, aliorumque curis Platonis metaphysica ad summum venit, se prodiit Pantheismus, innatarum dispositionum, seu idearum praejudicium, aliique errores bene multi quibus nedum Philosophia, sed Theologia faedata fuit.

Cap. 3. solide ac erudite ostendit Mastrofinius apud Christianos apertum fuisse ex N. T. testimoniis Trinitatis Dogma, ac illis liquido consequitur falsam esse sententiam Clerici *in suis Epis. crit.* qui asserere non erubuit, Justinum M. primum docuisse Trinitatis Mysterium et quidem ex Platonica doctrina *Vid. Gazz. cap.* 3. *et appen. ad illud S, Joan. tres sunt qui testimonium dant in coelo etc.*

Capite 4. 5. 6. historiam exhibet Mastrofinius errorum omnium, qui Trinitatis mysterium, aut sunt inficiati, vel contaminati. In sequentibus autem rationes exponit, ac simul excludit quibus Serlokius aliique hoc mysterium mira audacia demonstrare, seu potius faedare, conati sunt. Vallisius Trinitatem Dei cum trina corporis dimensione comparavit, quam quidem comparationem, licet elegans, et ingeniosa §. 208. *post prop.* 23. Mastrofinio visa fuit, errorem per singula membra serpere, et tacitum delabi fatetur. In cap. 11. ea exponit, quae hac de re explicavit in R. Archigymnasio Caesar de Horatiis, quae si plena manu haud rejicit veluti demonstrativas rationes admittere non potuit. In 12. tandem lectoribus exhibet demonstrationem

---

OBSERVATIONES

(51) Memento, Pater mi, tibi propositum esse hic exhibere ideam totius operis Mastrofinii. Quid hic Gazzaniga, quid Condillaccus, quid caeteri, quidve loquendi formulae: *Nolumus determinare* etc. Es cum Mastrofinio, et avolas? insequeris, ac dimittis? oportet ut alia omnia hic inferas quam quae is tradidit: mihi crede, Pater, nisi corde ingenuo agamus, undique prodimur.

quam confixit (52) Hermenegildus Pini, sed utpote parum intelligibilem eam rejicit. *Uti videtur*, ipse ait, *scribendi genere, quod reconditi argumenti sublimitas postulabat. Ego autem methodo mea progredior, quae tum est diversissima, et unice, et plenius Trinitatem respicit, tum faciliores habet scribendi modos, delectumque rerum, quae maxime Theologos juvent.* Videamus. Displicet quod brevitas, quam sequi statuimus, prohibet quominus cuncta, quae in suis tribus demonstrationibus auctor habet lectorum oculis subjicere possimus.

Prima demonstratio hisce verbis clare exponi posse videtur. *In Divina substantia sola vi naturalis rationis* (53) *sequentia dignosci queunt. Modus existendi triplex, nec numerosior, ita ut unus sit veluti primus, ex quo reliqui duo consequuntur. Unusquisque integram naturam Dei circumplectitur, neque extrinsecus in eamdem immigrat, sed ipsam Dei consequitur naturam. Quilibet ab altero secernitur, vel distinguitur realiter, et certa quadam gradatione ordinis contineri, pertinetque ad singulos viritim personae appellatio.*

Hisce autem demonstratis contendit patefacere existentiam Trinitatis quam sistere tradit in hoc *quod in unica Dei substantia tres habentur substantiae* (54) *vel personae non eae quidem separatae;*

Observationes

(52) *Confixit.* Mastrofinius neque adhibet *confixit;* neque rejicit ullo modo, imo prosequitur Illam, additis testimoniis Patrum: tu rejisis, usurpato vocabulo *confixit*.

(53) Sola vi naturalis rationis: circumscribe has voces, ut perpetuo Mastrofinius postulat, addito post ortam revelationem.

Modus existendi triplex et quae sequuntur pars est §. 428. Ubi concluditur secunda, non prima demonstratio: quare haec supponunt jam explicationes, ac declarationes multo diligentiores allatas in prima demonstratione; quo mens auctoris intelligatur. Imo et initium paragraphi praetermittitur quod multo rem commendasset: ac de textu ipso quem affers video extritas voces non sine causa appositas: auctor dixit *gradationem* non *graduationem*, quae postrema vox, saltem nescio quam honorificentiae distantiam indicat.

(54) *Substantiae,* debebat imprimi *subsistentiae*. Artificio, an casu id contigerit praetereo. Attamen in re tam gravi poterat moneri lector in tabula correctionum quae extat in pag. 180. ac multo plus justius quam de tot aliis: quae vix de grammatico lapsu redimunt.

vel a se invicem vel a Divina substantia, *sed inter se tantum distinctae realiter*, *et infinitae*, *quicumque* (55) *certus sit ordo*, *ita ut eorum una sit veluti prima ex qua reliquae duae consequantur.*

Quamvis demonstrarentur Mastrofinii modi, nemo catholicorum concederet, demonstratum fuisse in Deo existere Trinitatem personarum, cum praesertim non omnes illam descriptionem quam de Trinitate tradit §. 43. §. 351. §. 428. utpote pluribus aequivocis obnoxiam admittere possint (56). Nos lectorem remittimus ad P. Gazz. de SS. Trinitate post praefationem ante 1. diss. Priora sic a Mastrofinio probari videntur; *res creatae*, ipse inquit, *habent principium existens cur existunt*, *et postulent sibi* (57) *principium unum quare existant*, insuper *habent principium quatenus habent rationem existentiae ab eo consecutae denique creaturae habent principium eliciendae actionis*, quod quidem principium, seu actionem indistinctam ponit a substantia *cum suo termino distincto si principium sit sufficiens*.

Observationes

Quas hic refers voces fere sunt initium ejusdem paragraphi modo citati, quo concluditur secunda, non prima demonstratio. Unum pro alio. Una Trinitas: demonstrandae illius non una est semita.

(55) *Quicumque*, melius id exprimi debebat. In textu habes quamquam non quicumque.

(56) Haec, Pater mi asseruntur, et asserendo negantur. Expone causas, et responsionem tuleris. An si tibi aderant, reticuisses tu tam anxius ad criminandum?

Videntur. Oh Pastor! Videntur? Assecutus es mentem operis, cujus compendium vis tradere an non: Si primum; tu tam promptus adfirmator cur ais *videntur;* si non; quare scribis? Ex instituta analysi quam tu jactas tantopere, pronum est concludere, loqui te de opere, cui vel non studuisti satis, vel insidiaris! Quare quae sequuntur omnia hac unica notatione intercipiuntur, ne attendantur, sequor tamen quo vis: Ac alta mente reconde, secuturum me te semper quibuscumque sis armis proditurus in campum. Nec enim Mastrofinium defendo: Struem calumniarum dissipo, ne quid cognitioni Trinitatis officiatur.

(57) Mastrofinius faecem hanc turbulentissimam narrationis non agnoscit. Misces, confundis omnia? Tantine penes te est cognitionem intercludere Trinitatis?

Haec tria videlicet rationem sufficientem (58) cur existat, quam vocat Patrem; existentiam, quam vocat Filium, et terminum actionis, quem vocat Spiritum Sanctum, esse in Divina substantia cum illis differentiis superius allatis, ac terminum esse infinitum, quatenus habet proportionem cum principio eliciendae actionis, quae in Deo est semper sufficiens, et infinitum, contendit, ac sequenti ratione probare videtur (59). *Deus et creaturae invicem opponuntur non ex eo quod existunt, sed ex vario tantum quo existunt modo, quatenus Deus repetit rationem sufficientem existentiae ab intrinseco, terminum actionis ex necessitate infinitum, cum in Deo nihil haereat suspensum, et anceps, et cum terminus correspondere debeat vi Divinae, quae est infinita*. Positis scilicet hisce omnibus notionibus erui posse, confidit Cl. Mastrofinius, Trinitatis demonstrationem.

Quid veri (60), quid falsi, quid dubii, quid indeterminati in

---

Observationes

(58) In toto hoc paragrapho scintillulae sunt aliquae rerum quas Mastrofinius habet: caeterum vaga omnia, incircumscripta, confusa, imo et errata. Nunquam Mastrofinius Patrem vocavit *rationem sufficientem* cur existat: sed in eo qui Pater est spectat ipsum principium, et in principio rationem cur in Deo sit existentia. Nimirum in Patre spectat Principium, ut Patres dixere, *Divinitatis*, vide not. 2; *principium in quo erat verbum:* die idem de caeteris locutionibus quas de filio habes ac Sancto Spiritu: ne substituas abstracta pro concretis, vel partem dictionis pro integra dictione: debes nosse quid intersit; fide incorrupta, ut alii loquuntur, loquere, ne quid veritas capiat detrimenti.

(59) Videtur: rectissime id iterum affirmas, nam dolo malo transver'is omnia, ac debebas tibi perfugium relinquere excusationis ex eo quod non intellexeris: subjectum ratiocinium partim legitur, partim non legitur penes Mastrofinium.

(60) *Quid veri*. Oh ideas reddis dubias, falsas, interminatas, ac dicis deprehendere ac patefacere? Patefecisti te ipsum: Relege notas observationum appositas gradatim fictionibus tuis. Sed mittamus garritus, et querelas; nimium utrumque molestum. Huc rem contraho.

Prior demonstratio innititur sequenti propositione, ita ut si haec admittatur stet demonstratio, si vero non admittatur, tum demonstratio, seu demonstrationis tentamen dissolvatur: tentamen dico demonstrationis, non Trinitas dissolvitur. Sic Richardus Victorinus Trinitatem ex Charitate quae Deus est demonstrat, ac eo rem dedu-

hisce ideis deprehendimus, patefecimus in tractatu de *Theol. Nat.* §. 2.

OBSERVATIONES

cit ut esse in Deo debeat *Diligens*, *Dilectus et condilectus*: ingenium suspicio: nescio quid boni in his video: mens persuasionem non sentit penitissimam, nec interim aut Trinitas destruitur, aut Richardus destruere nititur cum certitudine, quam fides de Trinitate habet, addat quid lucis etiam ex ratione, quam Fides roboraverat: neque si lux illa non est plena, ob id ipsum lux non est aliqua. Fortasse nemo, quantum Richardus, rem percipit. Nicolaus Cardinalis Cusanus passim in suis operibus Trinitatem cernit in substantia, in qua *POSSE* devinctissimum est cum *EXISTERE;* ita ut in *POSSE*, certo modo considerandum, videat *PATREM*; in *EXISTERE*, dato perinde modo, spectandum cernat *Filium*; ac tandem in nexu amborum, de quo est *OPERATIO*, intueatur tertiam Personam. Mira, arcana sunt ista, de propriis evulsa sedibus, ac lecta disjuncte: interim eum habent intellectum ut fere neminem putaverim, sublimia haec tam acute vidisse ad eam comparandam demonstrationem. Legatur ejus liber, quem inscripsit *Possest*. Non omnes vim sentirent istorum: nec tamen sequitur non superfore Trinitatem: cum potius hujusmodi conamina indicent omnino certissimam fidem Trinitatis, sine qua certitudine numquam doctissimus ille Cardinalis ita ingenium exacuisset suum ad eam confirmandam. Eadem dici de aliis possent, qui applicuerunt animum ad Trinitatem convincendam ratione, quam Fides aluerit.

De his, Pater mi, te refer ad Mastrofinium. Fortasse tentamina demonstrationum, quae ipse praebuit, non omnibus perspicua, vel certa videbuntur. Quid inde? Num Trinitatem disjectam dices; cum scopus constans illius perpetuo Trinitatem Fide notam supponat, dicat, velit, conetur ostendere? Vana illius fuerint ad demonstrandum conamina; sed cum haec incaeperint, jam supposita ac celebrata, ut certissima Fide Trinitatis, vanitas conaminum retrahetur, ac desinet ubi incaepit, ubi scilicet Fides Trinitatis jam undique fulget ut certissima. Incolumis perpetuo erit Pater, incolumis Filius, incolumis Spiritus Sanctus, quos Fides proponit, et in quibus unum Deum Mastrofinius prosequitur, adorat, concelebrat. Jam his monitis, haec est sequens illa propositio, in qua prima incumbit demonstratio: nimirum.

In Divina substantia, unica, non multiplici; simplicissima, non composita; immateriali penitus, non materiali; infinita, non finita

et reliqua animadvertemus in hac nota, ac in sequentibus num. post-

---

OBSERVATIONES

necessaria, non contingente; aeterna, non temporaria; creatrice non creata; diversissima a mundo, non confusa cum mundo, quem condidit; In hac tali ac tanta substantia admitti debet fundamentum, Principium intimum, verum ac proprium, non fictum ac vanum, in quo sit vel incumbat, vel de quo pendeat, seu in quo spectanda sit ratio cur ipse Deus existit.

Hac admissa propositione, ac sensim ad suas deducta consecutiones, oritur prima demonstratio, ea non admissa, non oritur. Admissa ea propositione, jam in intimo eo principio datur, vel adest ratio quare in Deo sit existentia, vel id, quod existentiae continet notionem; et itur ad Trinitatem: ea non admissa propositione, eo rejecto principio interiore, vero, proprioque, unde explicetur cur Deus existit, vel cur sit in Divina substantia id quod rationem continet existentiae; eo rejecto principio, dicendum erit Deum existere quia existit, quod est principium petere, ut tu ipse non diffiteris. Ubi vero nil in interiore Dei, (sinatur me sic loqui), ubi nil reperitur quare debeat existere jam peto cur admittis, aut cur admittenda illius erit existentia. Ut sine ratione admittis, ita sine ratione potes non admittere; ut sine ratione concipis illam esse plenissime actuosam, ita sine ratione potes illam concipere desidem, inertem, improvidam etc. Uno verbo: admisso principio interiore illo, in quo sit ratio, quam dixi, et mens quiescit, at Deum unum admittit, et graditur ad Trinitatem: rejecto eo principio nec humana mens quiescit, nec Trinitas demonstratur; imo periculum est, ut cum Trinitate ipsam Dei unitatem amittat. Dic utra potior sit methodus, primane an secunda. Prima dices arbitror: atqui et primam inculcat Mastrofinius tum ratiocinio, tum adhibitis auctoritatibus, quae loco suo videri possunt, ne actum agatur.

Passim venditas, si admittitur interius principium, quare Deus existat; jam aliud admittendum fore principium anterius isto, atque anteriore illo anterius aliud, numquam fine facto. Sed o bone! Jam eversa difficultas haec fuit in §§. 248. et 249. Dic interim. Nonne si datur circulus oportet dari centrum? negares inde, quia si centrum admittitur, oportet admittere centri centrum? Manantia de sole flumina radiorum vides; negares oportere constitui globum solis, de quo prodeant, quia secus constitui oporteret globum globi, numquam fine facto? Ubi certam arborem pomis onustam videas; negabis insistere

quam scilicet alias duas exposuerimus demonstrationes, quae ad praedi-

---

Observationes

illam in sua radice, quia secus admittenda radix radici erit? O Pater, da prius alium circulum, cujus assignandum sit centrum, et centrum aliud dedero: da prius effusionem aliam radiorum, ut solaris est illa, et globum alium quaeram: da prius arborem aliam considerandam, non certam illam quam definite spectabas, et aliam radicem indicavero: Sed quamdiu in uno sis circulo, in uno sole, in una planta, nonnisi absurde quaesieris, et centrum centri, et solem solis, et radicem radicis. Ita prorsus in Deo; si postquam admiseris fundamentum ac Principium illud summum, intimum, immanens, proprium, unde explicetur quare Deus existat, jam velis principium aliud admittere; protinus respondebo: da prius aliam existentiam cujus assignanda sit ratio; quae cum dari non possit; nisi altera admissa, contra fas omne, divinitate; consequitur neque principium aliud et principio anterius esse objiciendum, vel tolerandum.

Admisso anteriore eo principio jam aderit tum principium istud, tum inseparabilis res illa, quae de principio isto consequitur, quaeque notionem in se continet existentiae, cogitandae in integra Divina substantia. Quare duo jam aderunt; in hisque duobus, principio scilicet quo existat, et re illa, quae notionem habet existentiae, in his duobus, divina substantia spectatur ut divina substantia existens non amplius. In unaquaque vero substantia maxime in simplici ac spirituali, nam de his potissime sermo esse debet, in unaquaque hujusmodi substantia, ac tanto magis ob infinitam distantiam vel eminentiam in Divina substantia existente, oportet respicere interiorem actionem cum suo termino: quo cum termino cum non debeat concipi, nisi spectata jam substantia quae existat ut agat, intelligemus oportere admittere in Deo etiam interiorem et immanentem interioris Divinae, et immanentis actionis hunc terminum; qui Divinam integram naturam complectatur, et tamquam sui propriam habeat, vel qui perpetuo cum hac divina substantia considerandus est. In eoque sic accepto consideratur tertius e Trinitate, ducto a Patribus exemplo: Sic Gregorius Nyssenus Orat. Catech. Magn. c. 3. = *Cum Dei Spiritum didicerimus, qui Verbum consequitur, et ejus declarat operationem, non intelligimus flatum anhelitus* (deprimeretur enim et ad nimiam demitteretur humilitatem magnitudo Divinae potentiae, si qui in eo est Spiritus existimaretur esse instar nostri:) *sed VIRTUTEM SUBSTANTIALEM;* ut Petavius vertit, vel ut alii, *OPERATIONEM*

ctam nedum reducuntur, sed apprime cum ea conveniunt uti et ip-

---

OBSERVATIONES

ESSENTIALEM IPSAM IN SESE PROPRIAQUE HYPOSTASI SUBSISTENTEM, QUÆ NEQUE SEPARARI a Deo POTEST cui inest, NEQUE A VERBO DEI quod consequitur. = Qui textus patet: qui interpretationem desideret, legat Metaphysicam sublimiorem §. 317. Prope eadem verba adhibet Damascenus lib. 1. de Fid., ut sententiam suam de Spiritu Sancto exprimat. Cyrillus Alexan. Tom. 5. p. 675. = *Non creatus et factus est Spiritus, sed ex incomprehensibili, et divina substantia, ut VIRTUS ejus, ac velut NATURALIS OPERATIO.* = Et p. 391. = *Non est igitur alienus a divina essentia Spiritus* (Sanctus) *sed tamquam NATURALIS OPERATIO, atque ESSENTIALIS, et INEXISTENS ipsi, et ex ipsa procedens, et in ipsa manens, omnia operatur, quae Deus.* = En igitur interprete Cyrillo tertiam personam in operatione naturali, et essentiali, et inexistente, quae procedit tamen, idest quae operatio est non abstracte et universim spectata dumtaxat, sed ad certum progressa vel deducta terminum, in eoque manens, ac fulgens, non defluens.

Maxime autem perspicua sunt, quae tradit Manuel Calecas BB. PP. Edit. Lugd. tom. 26. p. 413., quae sunt hujusmodi =. *Enim vero quoniam OPERATIO Filii Spiritus Sanctus esse dictus est SUBSISTENS, et SUBSTANTIALITER INSITA, constat quia per Spiritum Sanctum* (Filius) *operatur. HÆC AUTEM COMMUNIS ECCLESIAE OPINIO EST: maxime cum etiam Dominus dixerit*: Si autem in digito Dei ejicio Demonia; *quod alias Evangelista exponens ait*: Si autem in spiritu dei ejicio Daemonia. = Quo in loco citra obscuritatem omnem Spiritus Sanctus dicitur: Operatio divina, seu Filii, substantialiter insita, et subsistens, idest indelebili suo termino interiore definita: Quodque ad rem nostram in primis est opportunum, traditur ut COMMUNIS ECCLESIÆ OPINIO. Fuit haec eadem Athanasii ad Serapionem, et Basilii sententia. Ac placet etiam addere quae in Florentinae Synodi conventibus prolata fuere, quantivis pretii ad rem quam proposui commentandam, et constituendam. Etenim in Sessione 25. scriptum invenio = *Dicimus Spiritus Sanctum procedere ex Patre et Filio ut ab unico principio, unica actione.* = Et paulo post = *Nos autem fatemur unum* (Sancti Spiritus) *principium esse Patris et Filii actionem, et productivam potentiam, et non dicimus Spiritum Sanctum procedere etiam ex Filio ut ex alio*

se fatetur Mastrofinins §. 383. 483. 530. postquam scilicet alias duas exposuerimus demonstrationes (61), quae ad praedictam nedum redu-

---

Observationes

PRINCIPIO et CAUSA; sive quia Filius Spiritum Sanctum primordialiter producat. Unam quippe novimus CAUSAM, et RADICEM, et FONTEM DEITATIS Patrem, neque vero unam dicimus personam Patris et Filii, quia unicam asserimus ACTIONEM: hoc enim absurdum est; sed duas dicimus hypostases, et unam actionem, et unam virtutem productivam, et unum quod producitur ex substantia et hypostasi Patris et Filii, = per unicam scilicet actionem, ut immanens ejusdem sit terminus.

Interdum apud exteros Spiritus Sanctus consideratus est, ut Dei operatio, quatenus operatur extra Deum, nimirum quatenus est attributum; eaque sunt de re merito redarguti. Nam operatio, in qua Patres respexere Spiritum Sanctum est operatio NATURALIS itemque SUBSISTENS, in seque perfecte, constans ante operationem omnem exteriorem; operatur quidem Spiritus Sanctus extra Deum omnia quae Pater, et Filius, operatione externa, quam vocant, non ipse externa est operatio, sed interna, et quatenus ad interiorem perpetuoque constantem delata est terminum. Quae distinctio diligentissime consideranda est, ne Patrum sententiam gravissimam, ac longe communem confundamus cum mendaci alia, et cara profanis, quam numquam Catholica professio receperit. Tam facile est nisi distinctio haec fiat, ut importune criminemur utramque.

(61) Unus aut alter eorum quos intererat cieri bellum in Metaphysicam sublimiorem, cepere criminari illam, quia tres cum sint demonstrationes existentiae Trinitatis, novem prodire deberent personae, trinae pro unaquaque demonstratione: principio patuere aures nonnullorum his fraudibus, brevi tamen concidit error, ea facillima observatione quod una sit Urbs, tamque variae sint viae, quae ducunt ad illam: Tu ut est revera, fateris tres demonstrationes apprime convenire, ita ut praecludas errorem aliorum: In quo Providentiam suspicio, quae trahit de malo bonum: Nec enim alio tu consilio id facis nisi ut repudiata prima demonstratione, jam praeparatos etiam haberes lectores, quibus etiam reliquas duas eriperes. Quod monstri est istud? Adgressione repulsa ex una parte, bellum ex altera instauratur? Instauretur.

Auctoritatem: mi Pater, non miror te sic agere cum Mastrofinio, qui sic tam cito, tamque bene habitum dimittas Dionysium.

cuntur, sed apprime cum ea conveniunt, uti et ipse fatetur Mastrofinius §. 383. 433. 530.

Liber quartus secundam continet demonstrationem, et in §. 368. docet, Deum creare posse infinitas species, natura tamen finitas et in qualibet specie infinita individua, substantias scilicet, ut ipse ait *infinities infinitas*, et affert Dionysii auctoritatem, qui docet *Deum posse infinite infinitas potentias producere*. Nescimus qua ratione Mastrofinius *potentiae* nomine intelligat *substantias*. Quod nos valde inficiamur, est ejus conclusio. *Concludi potest*, ipse ait, *substantias jam conditas pertinere ad numerum qualem descripsimus, infinite infinitum substantiarum, quas Deus posset producere*. Et si haec doctrina Dionysii testimonio constaret, ut ipse docet, adeo falsa nobis visa fuit in *Theolog. nat.*; ut hac de re ejus rejiceremus auctoritatem. Aperte igitur negamus harum infinitarum productionum seriem, quam ipse §. 370. nedum possibilem, imo revera productam contendit; negamus etiam quod ipse §. 374. concludit *Deum actu posse eodem tempore substantias cunctas* scilicet possibiles *ad existentiam adducere* imo ut ex aliis locis colligitur *adduxisse* (62) docet. Multi philosophi opinati sunt Materiam constare partibus numero infinitis, utpote ad infinitum divisibilem, sed nemo sanus dixit numerum substantiarum esse ita infinitum, ut contineat omnes substantias, quas Deus producere potest. Nos primam quaestionem omittimus, alteram et nos inficiamur (63).

Haec autem inficiata sententia corruit, quod docet §. 375. Divinam vim creatricem esse juxta notiones, quas ipse tradit, *infinities infinitam* quam rem (sic mathematicis characteribus exprimit, ∞ est quantitas infinita Divina (64), vix creatrix erit ∞^{2}, nempe 1

OBSERVATIONES

Imo productam contendit: secunda haec pars omnino est falsa; Nunquam absurdum istud Mastrofinius protulit, quod intelligetur etiam ex nota observationum 9. quin consulatur opus ipsum.

(62) *Adduxisse:* eadem obvia est falsitas.

(63) *Inficiamur:* Non satis est inficiari: oportet adducere argumenta in contrarium, quae quandiu non producuntur, in sua permanent firmitate argumenta, quae sonitu non convelluntur vocis. Tu sanissimus omnium, admove causas quibus alii convalescant.

(64) *Quantitas infinita Divina:* has voces nunquam ita conjunxit, neque conjunget Mastrofinius. Tu quare tam saepe veluti ex inito consilio injicis quae de penu sunt calumniarum, non de scriptis aliorum.

$\times \infty \times \infty$ — In seq. n. ostendit Mastrofinius infinitam vim requiri ut substantia quaecumque, vel individuum procreetur, et ideo §. 377. concludit creatricem Dei vim existimari multiplicando quantitatem *infinities infinitam per infinitum vel quod perinde est creatricem Dei vim*, seu ut ipse intelligit substantia, cum hanc a vi minime distinguat (65) *est infinitum tertii ordinis. Jam si mathematicum in modum loqui velimus creatrix ea vis erit* ∞^{1}, $\times \infty \times \infty \times \infty$.

Tota igitur secunda demonstratio in doctrina contineri videtur, (66) quam tradit in calce n. 376. *Ita se habet nihilum*, inquit, *ad rei hujus possibilitatem; quemadmodum possibilitas haec ad Dei existentiam*. At nos inficiamur distinctionem inter possibilitatem, et nihilum. Iam demonstravimus *in Theolog. nat.* creationem non effici per existentiae largitionem, vel rebus possibilibus (67) (cum extra

---

Observationes

(65) Nimium confuse, nimium subdole dicta sunt ista: debetque his conjungi consideratio veritatum caeterarum, quae hic de industria reticentur: Ex. ca. Una esset illa: §. 397. *Cum nitimur explicare quo pacto Divina substantia in se spectata sit infinitum tertii ordinis, rem non explicabimus inquiendo: Divinam substantiam in se spectatam esse tertii ordinis infinitum, quia interior Divina vis est itidem tertii ordinis infinita:* Ea vero *ob oculos posita veritate*, jam progredere, et produc si vales insidias.

(66) In numero 376. quem citas: proponitur haec thesis: *Ut substantia una quaccumque vel individuum procreatur infinita vis requiritur*. Ad hanc autem evincendam tria adhibentur argumenta: quorum in postremo habetur proportio illa: *ita se habet nihilum etc.* Quae utcumque tibi essent falsa; superessent tamen reliqua duo argumenta, eaque validissima, imo quamquam haec etiam falsa essent; permaneret tamen, ut certa singulis, propositio, qua statuitur, vim infinitam requiri ut substantia una quaecumque procreetur. Ab hac autem progreditur secunda demonstratio, non ab argumento, quod improbas: Non placet? non placeat: Ergo falsa demonstratio? Disjice prius propositionem illam, requiri vim infinitam ut substantia quaevis procreetur. Quod cum non effeceris, inaniter irruens in particulam unam non necessariam ad rei summam, consequitur, praerupto saltu sumere te quod non debes.

(67) *Creationem non effici per largitionem, vel rebus possibilibus etc. nam possibilia constituunt Divinam essentiam*. Unde carpsisti divitias istas, Pater mi: Nil creari nisi quod possibile est, so-

Divinam Essentiam nil esse demonstravimus: dum enim res producuntur, haud producuntur possibilia, quae constituunt Divinam essentiam; hoc mehercule esset purus putusque Pantheismus) vel principiis actuosis in spatio increato existentibus, nos enim illa, et istud inficiati fuimus, ac ideo non admittimus sequentes locutiones. *Ut enim nihilum est negatio quaedam relate ad rei possibilitatem, quemadmodum possibilitas eadem est negatio quaedam relate ad existentiam est nempe nihilum existentiae* nos addimus *est nihilum essentiae*, et nihilum esse omnimodam, non *quamdam* solum negationem (68).

Cap. 3. §. 410. exactius determinat quid ipse intelligit dum dicit *Divinam Substantiam esse infiniti tertii ordinis*, hoc intelligit *prout substantia est affecta tamen modo existendi peculiari et proprio*. At siquis dicat Divinae substantiae repugnari modos, qui per Mastrofinium §. 402. terminant Divinam substantiam, quid respondet? (69).

Observationes

lemnis est metaphysicorum canon: et vulgus omne ante rem finitam respicit ut possibilem, mox quae procreetur, siquidem Deo placuerit. Tu dicis non dari possibilibus existentiam quia possibilia sunt essentia ipsa: Admittatur causalis ista, admittatur non produci in creatione possibilia ipsa ut sunt essentia Dei: quid prohibet quominus possibilia tamen, arcano quem nescimus modo, pergant esse in essentia Dei ac interim accipiant externam existentiam? Sic ideae sunt ac permanent in mente ac verbis aut scriptis alligo.

Quam inepta vero sunt illa, *si producerentur possibilia etc quae constituunt Divinam essentiam; hoc esset Pantheismus*? Analysi illa tua quam jactitas huc rem deducito. Si producerentur possibilia quae sunt essentia, id est si produceretur essentia Divina, nimirum ea non existeret; id esset Pantheismus: hoc est si Deus non daretur; Deus esset totum: Oh! qui Pantheismum undique conspicis invenis, et intueris etiam in nihilo? Vides quo devolas? Contrahe Pater mi, vela, et remigio progreditor, non pennis alorum.

(68) Non est garriendi hic locus: caeteri dijudicaverint uter planiora det concipienda: maxime quod sive id sit quod asseris, sive non, prorsus nil interest ad rei summam.

(69) Haud interrogando, vel adfirmando quatiuntur veritates Pater mi: Non sic arcus expugnantur hostium. Da causas, ac respondebitur: sed quandiu non dederis; perstabunt robore suo, ut ante perstabant, argumenta, quae velles abjici.